PRO COMMUNI VIRGINUM

Sæcularium, & Regularium.

MONITUM.

Ex quo glorioſa Dei Genitrix extulit Virginitatis vexillum, quæ virtus opprobrii loco in veteri lege habebatur; in nova viſa eſt infinita Virginum ſexus utriuſque copia præſtantiſſimam hanc virtutem exercens. Evangelium illam laudibus celebravit; S. Paulus illam docuit tanquam præſentiſſimum medium ſeſe conjungendi cum Deo, eique ſerviendi ſine ulla partitione, ac diviſione, ac tandem illius praxis commendata fuit, tanquam altiſſimus Evangelicæ perfectionis gradus. Hinc illi, qui ad editiorem Sanctitatem anhelarunt, vel hanc virtutem profeſſi ſunt, vel cum illam exercere non potuerint ob aliquam publicæ, vel domeſticæ rei cauſſam, quoad corpus illam obſervarunt, ſtatim ac illis integrum fuit; ſemper tamen corde, ac deſiderio ſecundum ſtatum ſuum.

Hinc ſequitur in hoc fere infinito Virginum numero, licet Eccleſia nonniſi quarumdam illuſtriorum, magiſque communium Elogium efformaverit; plurimas dubio procul in qualibet regione adeſſe, quas cultu publico honorari permittit; ad quarum Panegyricam Orationem habendam explicandum eſt, quid Biblia, & Patres doceant de Virginitate; hujus enim virtutis elogium eſt etiam elogium illorum, illarumque, qui, vel quæ illam profeſſi, & profeſſæ ſunt, ſive in Regulari, ſive in ſtatu Sæculari, a quo præſcindimus, conſiderantes hanc unam virtutem, dummodo ſit immunis a noxis omnibus, quæ illius pretium imminuunt, & conjuncta ſit cum aliis virtutibus, ſine quibus nullius eſſet meriti coram Deo ſemper hac mente, & cum his conditionibus, præter ea quæ in morali Bibliotheca, ſub Continentiæ *titulo a nobis tradita ſunt; & ubi de Religioſis locuti ſumus, hic communem aſſerimus rerum copiam, quarum applicatio pendebit a ſingularibus circumſtantiis, quas vita, & actiones illius, qui vel quæ laudibus erit ornandus, vel ornanda, ſuppeditabit.*

PRO COMMUNI VIRGINUM

Sæcularium, & Regularium.

Ortus, & excellentia Virginitatis.

Licet virtutes omnes ſe ſe oculis noſtris conſpiciendas præbuerint, atque, ut Sanctus Auguſtinus ait, abſit invidia verbo, ſeſe incarnaverint cum Filio Dei, ex quo ille corpus aſſumpſit, ut videretur in terris, & cum hominibus converſaretur: dici tamen poteſt puritatem, & virginitatem præ ceteris quibuſcumque hac donatas fuiſſe prærogativa; quia Verbum Æternum, quod eadem puritas eſt per eſſentiam in Sinu Patris, & quemadmodum eum appellat Scriptura fulgor lucis increatæ, non ſolum in mundo viſum eſt, ſed ex Virgine natum extulit vexillum virtutis hujus, quæ antea erat ignota. Ex eo tempore, Sancti Patres inquiunt, illius meritum agnoſci cœptum eſt, & laudibus cumulari virtutem ita nitentem, quæ pridem apud Judæos habebatur opprobrium. Poſtmodum enim illam amplecti viſa ſunt tot Virginum millia per aptiſſimam profeſſionem; & longe alii habiti ſunt conceptus de profitentibus illam, ab iis, quos gignere ſolet admiratio: quoniam per illam ſeſe ſupra humanæ naturæ conditionem elevarunt, & Angelis coæquarunt, qui hac in re plus quidem felicitatis, non autem plus fortitudinis, meritique habuerunt. Sed licet verum ſit, virtutem hanc æque nobilem, & pretioſam, ac delicatam, & fragilem ſexui utrique communem eſſe, tamen inficias ire non poſſumus, illam potiori titulo pertinere ad eum ſexum, cujus eſt ornamentum, & in quo maxime conſideratur: quoniam communis opinio in ea conſtituit apicem gloriæ ipſius in illa ſervanda, ut vitam ipſam pro ea tuenda effundere non vereantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Virgo poteſt comparari cũ muliere forti Scripturarum.

Haud ægre modo invenitur, Auditores, Mulier fortis, quam Salomon ſpectabat tanquam theſaurum, cujus pretium exoticæ omnes divitiæ exæquare non poterant. Hoc arduum ſane erat antequam Rex Virginum in terras deſcenderet, & tunc cum Virginitas habebatur tamquam obex honori, aliquid conferendi Meſſiæ naſcituro: Verum modo cum Meſſias novam tulerit legem, in qua animæ, corporiſque puritas unum conſtituit ex præcipuis præceptis, & virginitas unum ex præcipuis conſiliis: Eccleſia hodierna die nobis ob oculos ſubjicit Virginis exemplum, quæ de gloria, & fortitudine cum generoſiſſimis Martyribus certare poteſt; & in qua poſſumus affirmare adimpletum fuiſſe Salomonis Oraculum; quandoquidem ex tranſmarinis litoribus venit, ut de illa dici queat: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

Exemplum Sanctæ Virginis.

Perfectiſſimum, & abſolutiſſimum puritatis exemplar, quod in creatis apparuit, eſt glorioſa Dei Mater, virgo antonomaſtice, quæ ipſos Angelos ſuperavit. Hæc prima vexillum Virginitatis erexit per votum, quod omnium prima nuncupavit, ut judicari poteſt ex verbis, quæ dixit Angelo nuntianti futurum, ut ſinu ſuo Verbum æternum conciperet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* (*Luc.* 1.) Ita ſtatus virginalis puritatis inde ſuam hauſit originem, & ut ita dicam in eodem ſinu conceptus fuit, in quo Dei Filius, qui eadem puritas eſt, & ſplendor lucis æternæ, incarnatus eſt. Ita Sancti Patres loquuntur: dicunt enim, ſi Deus inter homines erat naſciturus, hunc ex Virgine naſciturum fuiſſe; & ſi virgini pariendum erat, hanc Hominem Deum fuiſſe parituram. *Recens Auctor.*

Alia exempla.

Ne hic omnia revocemus celeberrima elogia, quibus Sancti Patres beatiſſimam Virginem cumularunt, & quibus Evangelici ſuggeſtus toties perſonuerunt; luſtremus ſolum alia exempla, quæ nobis Lex nova ſuppeditat. Quam caſtus eſſe debuit ille, quem elegit Deus in Conjugem Mariæ, ut cuſtos eſſet & patronus puritatis ejuſdem? Quæ intercedere debebat ſimilitudo inter duas haſce perſonas, quas elegerat Deus, alteram quidem ut Mater eſſet ſua, alteram vero ut honorem Matris hujus tueretur per conjugis qualitatem, quam geſſit, & ut eſſet velut umbra Spiritui Sancto in conceptione Verbi incarnati? *Idem.*

Caſti ſunt Angelis ſimiles.

Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, &c. Geneſ. cap. 19. Qui Sodoma aufugerunt, Angelum habuerunt ducem, ut liqueret, Angelica virtute opus eſſe ad fugiendam ſenſuum voluptatem; & quo magis quis ab hac voluptate recedit, eo magis ad Angelorum conditionem accedere; caſtitas enim ſecundum Jeſu Chriſti verbum proprie virtus eſt Angelorum: *Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* (*Matth.* 2.) At qui longius ab hoc voluptatis genere recedere poſſunt, quam qui voto perpetuo, ultro omnem ſibi facultatem abſcidere? *Idem.*

Puritas nos ſupra naturam noſtrã attollit.

Eripe me de luto. Pſalm. 68. Quid majus, vel præſtantius dici poteſt ad gloriam virtutis hujus, quam illi acceptam referre facultatem eripiendi nos de luto, quod eſt origo naturæ noſtræ, ut nos attollat uſque ad Angelorum conditionem, & Dei ipſius ſimilitudinem? Hæc enim illa virtus eſt, quæ quodammodo corpus ipſum efficit ſpiritale, quæ nos a terrenis expedit curis, quæ pares nos facit cæleſtibus veritatibus contemplandis, & quæ reipſa erit de luto nos a ſenſuum voluptatibus divellens, quæ ſpiritum tanquam pecudem ſtupidum efficiunt, & hominem bruto ſimillimum? O Deus, quam dives, ac pretioſus theſaurus eſt Virginitas! Sed quantæ difficultatis eſt illum incolumem tueri? Hoc cæleſte lilium eſt, quo omnem pulcritudinem, & omnem Virginum ornatum conſtituit; ſed ut flos hic, & nitor ſervetur, irrigandus eſt lacrimis pœnitentiæ, & ne contaminata manus illum corrumpat, ſpinis ſepiendus eſt: *Amica mea ſicut lilium inter ſpinas.* (*Cant.* 2.) *P. Gentilis in libro, cui titulus: ſolitudo Virginum.*

Tuendæ puritatis adminicula.

En anima mea, tuendæ puritatis adminicula. 1. Mundi fuga, cujus aer tabidus eſt. 2. Senſuum tuorum mortificatio, qui ad voluptates lenem, violentamque ſimul habent propenſionem. Tibi extinguendæ ſunt vel minimæ tuæ cupiditatis ſcintillæ; una enim ſcintilla plerumque magna parit incendia. 3. Lacrimis tibi utendum eſt, ut olim uſus eſt ſanctus Auguſtinus; vigiliis, ut ſanctus Hieronymus; ciliciis, ut Eſther, & David; ſpinis, ut S. Benedictus; nivibus, & glacie, ut ſancti Bernardus, atque Franciſcus. Ecce quid tibi faciendum eſt, anima ſi vis eſſe caſta. Nunquid ergo mihi audienda eſt ſenſuum meorum repugnantia, qui perhorreſcunt ea, quibus mortificantur? Num tuta conſcientia ſequi cæce poſſum indulgentes directores, qui palpant corporis mei mollitiem, & fovent ſenſuum meorum rebellionem? *Idem.*

Sancta Noſtra nullam unquã præſetulit infirmitatem.

Cum nulla unquam viſa fuerit infirmitas in incomparabili Sancta, cujus Elogium ſum habiturus; non verebor de illa dicere, quod inſignis quidam ſanctus dixit de Judith; naturam quidem illi ſexum tribuiſſe, ſed virtutem reliqua omnia in eadem efformaſſe. Cum autem fortitudo ex omnibus virtutibus illa ſit, quæ magis emicat, & majorem ciet admirationem, eo uſque ut virtus vocetur per quamdam prærogativæ, & præeminentiæ ſpeciem; ad texendum Sanctæ hujus Panegyricum, ſatis eſſet virtutem hanc vobis deſcribere vividis coloribus, ut ſimul fieret character Virginis, quæ temporum ſuorum miraculum fuit, & quæ oſtendit licet natura alterutri ſexui magis ſe liberalem præbuerit, gratiam tamen nequaquam hoc poſuiſſe diſcrimen in favorum ſuorum partitione; quandoquidem infirmior corpore ſæpe per ſpiritus, animique robur ita

ita ſe extulit, ut eſſet aliis quidem exemplo, aliis vero probro, & verecundiæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Puritas corporis Deo placere non poteſt ſine puritate cordis.

Scio, Domine, puritatem corporis tibi ſine puritate cordis placere non poſſe. Scio jacturam fieri puritatis corporis, cum Spiritus pollutus eſt, licet ſine labe ſit corpus. Puritatis florem flacceſcere, & amitti unice ſenſuum voluptate; & inordinatum deſiderium cordis puritatem auferre; & inhoneſtam cogitationem quin perducatur ad effectum, animæ ſpeciem corrumpere; neque enim fas eſt cupere quod nefas eſt facere. Hoc me Domine docuiſti. Huic innixus principio putem me Virginem eſſe? Cor, corpuſque meum puritatem ſervarunt incolumem? Tu ſcis Domine; & hoc me coram te rubore ſuffundit. Angeli, qui meri ſunt ſpiritus, apparent non ſine macula in oculis tuis; filii Dei reſpexerunt formam alienigenarum mulierum, & puritatem ſuam amiſerunt. Sanctus Rex qui erat ſecundum cor tuum, imprudens oculos conjecit in objectum ab eo non videndum, & fœdavit nitorem purpuræ ſuæ, & polluit animæ ſuæ pulcritudinem. Puritas quam delicata virtus eſt! Specioſus quidem flos eſt, ſed quam facillime marceſcit! Domine amove a me quidquid mihi auferre poteſt integritatem meam, ac me in oculis tuis indignum efficere. Quam felix ero ſi ſervans puritatem, quam tibi vovi, ſim aliquando cum Virginibus, quæ circumſtant ante Thronum Agni! *P. Gentilis ex Solitudine Virginum.*

Nulla virtus eſt virginitate ſublimior.

Cum nihil ſit in Eccleſia virginitate ſublimius, nihil etiam Dei Filius accuratius ſuadet, verſutus diabolus diſſuadet, quam illam. Adeo nobilis eſt, atque ſublimis, ut plus Cæli habeat quam terræ, & magis Angelorum ſit, quam hominum. Hæc eſt quædam veluti prægustatio, vel meditatio vitæ futuræ. S. Cyprianus ait: *Nihil aliud, quam futuræ vitæ glorioſa meditatio,* (*Cypr. de bono pudicit.*) Hæc infantia eſt, quæ ſemper viget, & in quam anni tyrannidem minime exercent: *Perſeverantia infantiæ.* Hic pulcherrimus eſt omnium triumphorum; quia victoriarum omnium maxima eſt voluptatem viciſſe: *Voluptatum triumphus: voluptatem enim viciſſe maxima voluptas eſt.* In aliis victoriis fortiores ſumus inimicis noſtris, ſed in puritatis victoria nos fortiores ſumus nobiſmetipſis, & gloriari poſſumus nihil nobis ſupereſſe vincendum, cum noſmetipſos vicerimus poſtquam de aliis victoriam reportavimus: *Qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed alter, qui libidinem repreſſit, ipſo fortior eſt.* Hinc J. C. inſpirat amorem hujus virtutis omnibus propius accedentibus ad illum; & vult uterque Joannes, alter quidem præcurſor, alter vero ſibi dilectus, mater, & ſponſæ ſuæ Virgines ſint. Videtur ille omnes ſtatus ſui divitias reſervare, Virginitatem remuneraturus; cumque difficilis ſit, illam glorioſam facit, ut ad illam omnes invitet. *P. Senault in Panegyrico Sanctæ Urſulæ.*

Dæmon omnibus utitur dolis, ut Virginitatis contemptũ vel timorem nobis injiciat.

Dæmon omnibus dolis utitur, ut homines a Virginitate deterreat; cumque ſciat per hanc Cælum frequentatum iri, & repletum iri locos, quos ipſe, ſuique ſceleris conſcii ante ſuam defectionem tenebant, nihil relinquit inauſum, ut illius contemptum, vel timorem injiciat. Modo nobis perſuadet, hanc puellarum partem eſſe, & ſtatum earum ſibi uſurpare velle, qui velit ſervare virginitatem; modo hanc ſibi tantum bonam eſſe, aliis vero ſtatibus eſſe inutilem; illam deſertam efficere terram, cumque non alia re commendetur, niſi difficultate ſua, inde haurit omne pretium ſuum, quod aliis crucem figit; modo hanc nobis negotium faceſſentem, modicum honorem afferre, & ſemper præliis implicitam, numquam certam eſſe victoriæ. Subnectit rationibus dolos, & ſexcentis tentationibus utitur, ut Virgines deterreat a conſilio ſeſe Chriſto devovendi. Facit ut earum caro contra rationem rebellet; ac inteſtino domeſticoque bello nititur, ut ancilla triumphum agat de domina. Voluptatibus utitur ad ſenſus earum palpandos, atque credulos hoſce nuntios decipiens, infidelibus eorumdem narrationibus animam ſeducere contendit. Utitur pollicitatiunculis, ac minis impudicorum ad eas fallendas, corrumpendas, ſimulque duas affectiones commiſcens, terrore ſuperat illam, quam ſpe corrumpere minime potuit. *Ibidem.*

Ad Sanctæ N. laudem ſatis eſt dicere illam fuiſſe Virginem, & Martyrem.

Licet mirum in modum arduum ſit SS. Elogium exornare, ac invenire verba, & cogitationes, quæ meritis illorum reſpondeant; mihi tamen videtur Sancta N. laudari, ubi dicatur Virgo, & Martyr fuiſſe; & huic elogio nihil addi poſſe tota Oratorum eloquentia, quia in Eccleſia nihil illuſtrius eſt virginitate, & Martyrio; Virgines enim ſunt imagines Dei, quæ reſpondent ſanctitati autographi ſui: *Imago Dei,* S. Cyprianus ait *reſpondens ad Sanctimoniam Dei.* Et ſi Patrum ſententiæ ſunt Oracula, credere tenemur, Virgines ipſis Angelis nobiliores eſſe, quia beatorum horum ſpirituum puritas effectus eſt felicitatis eorum, puritas autem Virginum effectus eſt gratiæ & virtutis. *Angelum eſſe, felicitatis eſt, Virginem, eſſe virtutis.* Maryres ſunt Heroes Eccleſiæ, & ſecundum Origenis ſententiam, *Plus eſt eſſe Martyrem, quam Apoſtolum.* Attamen Auditores, Sancta, quam vobis in Patronam delegiſtis, ita admirabilis eſt, ut elogium hoc quantumcumque ſit, merita illius non exæquet; & quod conſtituit cumulum gloriæ aliorum SS. nonniſi gloriæ ejuſdem principium conſtituat. Tanto enim amore proſequebatur virginitatem ſuam, ut oderit pulcritudinem ſuam; & per ſenſum non auditum, doleat ſe pulcram eſſe, quia timet, ne ſatis ſit pura; tanto fervore martyrium appetit, ut præcipuus ejuſdem dolor ſit eodem privari, & maximo æſtuet deſiderio illius quamprimum obtinendi. *Panegyricus P. Senault ex Oratorio Sanctæ.*

Illuſtris hæc Sancta

Illuſtris hæc Sancta haud neſcia, ſe a natura egregia donatam fuiſſe forma, fugiebat omnia mundi conſortia, & clauſa domi ſuæ latebat, ne fieret particeps peccatorum, quibus locum præbuiſſet, ſi ſe cuiquam conſpiciendam præberet: illam pudebat pulcritudinis ſuæ; hanc metuebat, & ſciens illam puritati eſſe inimicam, ejus occurſum quam diligentiſſime evitabat. Virginitas, Tertullianus ait, adeo mollis eſt, ut alienos oculos vereatur, & ſuos. Seipſam & ſociis ſuis, & ſibimet abſcondit; & videre, & videri timet, haud inſcia, par ubique periculum eſſe, ſi vel ſibi placeat, vel aliis: ſemet nemini oſtendit: *Sed enim vera, & ſola, & pura Virginitas, nihil magis timet, quam ſeipſam,* quia ſcit, donec ſeipſam non amoverit, non quæſituram eſſe, ut ab aliis ametur: *Etiam feminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet.* Non ſuſtinet ſe a mulieribus conſpici, vel quia ſuos, vel quia Dei oculos reformidat. Cur mihi non eſt Tertulliani eloquentia, ut illius ſenſus cum omni ipſorum pondere ac pulcritudine vobis exhibeam! Virgo, ait ille, quæ ſuam amat caſtitatem, confugit ad velum, tanquam ad loricam, vel clypeum, ut ſemet contra tentationum incurſus tueatur, contra ſcandala, contra rumorem obſcurarum ſuſpicionum, ſecretarumque obtrectationum, contra invidiæ & zelotypiæ tela, ſatis agnoſcens fieri non poſſe, ut aliqua ſimul & formoſa ſit, & ſuam formam oſtentet, quin & ſibi, & aliis omnibus officiat. *Idem.*

fugiebat hominum oculos, ne forte ſua eſſet alicui occaſio lædendi Deũ.

Sancta N. domo ſua pedem non efferebat, niſi neceſſitate cogeretur.

Sancta N. perfecte has omnes veritates edocta, nunquam domo pedem efferebat, niſi illam urgens neceſſitas cogeret; & ſive maneret domi, ſive domo egrederetur, ſemper velo ſuo tecta videbatur, ne virus hoc, quod inficit aciem oculorum, illam ipſam inficeret. Norat illa, non deeſſe crimina, quæ tunc committimus, cum ſumus in cauſſa, ut committantur ab aliis, & alia, quæ per deſideria cor committit, & quæ oculus ſuo obtutu perficit; norat quædam adeſſe ſine complice adulteria, & alia, in quibus ſine actionibus, & ſine verbis tamen uterque nocens invenitur. Norat denique eamdem animi ægritudinem, quæ efficit ut videamus, efficere etiam ut videamur; quod utrumque coram Deo nefas eſt: *Ejuſdem libidinis eſt videre, & videri. Panegyricus P. Senault.*

Nulla virtus fragilior caſtitate, cujus jactura nequit reparari.

Ex omnibus virtutibus nulla fragilior eſt caſtitate: Similis eſt floribus fructuum, qui ſtatim ac attinguntur, vitiantur; quippe ubi ſemel jactura illius facta eſt, reparari non poteſt. Patres antiqui hac in re ita fuerunt religioſi, ut inter illos non defuerint, qui crediderint puellam, quæ faciem aperiret ſuam, non eſſe amplius Virginem, & ubi oſtenderit partem hanc, quæ eſt veluti compendium ceterarum, jam puritatem amiſiſſe. Tertullianus ubique ſeverus, hac in occaſione adeo auſterus eſt, ut neget, puellam, quæ velum abjecit, virginem appellari poſſe, & putet illam ex hac dignitate deciſiſſe, ſimul ac formam ſuam ab aliis conſpici paſſa eſt: *Denudaſti puellam a capite; & tota jam ſibi virgo non eſt, alia eſt facta.* *Idem.*

Quid putandum de puellis, quæ non ſolum faciem ſuã detegunt, ſed & brachia, & humeros, & pectus.

Si effatum hoc verum eſt, & ſi Virginem decorare eſt, faciem ejus oſtendere. *Omnis publicatio virginis bonæ ſtupri paſſio eſt.* Si jacturam fecit puritatis ſuæ detegens pulcritudinem ſuam, quid ſentiendum erit de illis, quæ ſeſe ubicumque producunt; quibus ſatis non eſt velum auferre capiti, ac vultui ſuo, nudant etiam lacertos, humeros, pectus, & impudentiſſime objiciunt ſe impudicorum deſideriis? Nonne fatendum eſt, ſecundum Patrum ſententiam, has amiſiſſe caſtitatem, & ſolum nomen virginum retinentes, gloriam non habere, quoniam non habent ultra puritatem? Sancta N. cui de hac veritate ſatis erat perſuaſum, raro egrediebatur domo, & ſicubi inde pedem efferre cogebatur: tanta cura ſeipſam celabat, ut ſicuti in ſocietatibus ſilentium, ſolitudinemque ſervabat, in converſationibus, ac viſitationibus ſuam faciem obnuberet. Illam nihilominus ſua fefellit ſpecies: hic Sol lucem ſuam effudit per omnes nubes, quibus tegebatur, & tantum emiſit luminis, & caloris in univerſam terram, ut Sanctæ noſtræ plurimos amatores, cultoreſque peperit. *Idem.*

Forma parit funeſtos effectus.

Forma ſæpe nocens eſt, & ſi illius arma pulcriora ſunt, vere dici poteſt, illam non eſſe minus periculoſam. Quamlibet dulcedinem aperiat, ſimul etiam tyrannidem affectat. Illa ſibi procurare contendit mancipia: regnare vult in ſervientes ſibi, neque illud quærit, utrum nocentes faciat, modo comparet ſibi idololatras. Cenſet ut plurimum ſubditorum ſuorum cogitationes eſſe inhoneſtas, eorumque deſideria impudica, & amoris nomine turpem, obſcenamque voluptatem conquiri. Hac de cauſſa Tertullianus chriſtianis ſæculi ſui mulieribus crebro dicebat, deſiderium, quo flagrabant, placendi viris ſua pulcritudine, culpa vacare non poſſe; ſciebant enim eo in ſtatu, ad quem nos peccatum redegerat, formam plures pravas ciere cogitationes: *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* Quapropter addit, quandoquidem illæ profitebantur caſtitatem, illis non admittendum eſſe deſiderium, a quo illa impugnabatur, neque utendum hac prærogativa, quæ objiciebat homines tentationi, eoſque ad peccandum ſollicitabat. Vos, ajebat illa, in cauſſa eſtis peccati eorum, ideoque nocentes, & licet etiam vos illis nonniſi occaſionem præbuiſſetis, ſemper tamen eſſetis reprehendendæ, & exprobrandæ, *Id.*

De cultu femin.

Sancta N. ambigebat, utrum corã Deo innocens eſſet, quia locum fecerat adoleſcenti amandi eam, licet hoc

Hoc olim timorem incuſſit Sanctæ N. utrum innocens eſſet coram Deo, quia adoleſcentulo amoris locum præbuerat licet hoc contra ipſius mentem eveniſſet. Nullum ſolatium admittebat, quod amatorem erat adepta, quin vellet; ſontem ſe putabat, quia illi placuerat. Verebatur, ne ſatis delituiſſet, & ne ſatis cultum ſuum neglexiſſet: quandoquidem in vultu ſuo tantum decoris reliquum erat ut in illius corde flammas accen-

cōtra illius intentionē accidiſſet.

cendere poſſe; pœnitentia ducebatur; tantum hauſit pudoris, atque doloris ex hac adquiſitione, quantum alia hauſiſſet lætitiæ, & vanitatis. Triſtitiam, qua affecta inde fuit, tanta extitit, ut ad eam conſolandam da cælo deſcenderit Angelus, qui ſimul eam certam faceret, illam ab hoc crimine immunem eſſe; non voluntatem, ſed pulcritudinem ſuam abſtuliſſe cor amatoris illius; & quandoquidem non alium habitura erat Sponſum niſi J. C., illi polliceretur fore ut quamprimum illa voti damnaretur, eamque non multo poſt futuram eſſe J. C. ſponſam ſimul, & Martyrem.

Sancta N. timet ſe aliis amorem immittere, cum hujus ſæculi puellæ nonniſi formæ ſuæ cultores requirant.

Inſignis hæc Sancta metuit, ut ab aliis ametur; ſæculi vero hujus mulieres timent ne amentur. Sancta N. fugit magnos cœtus, tanquam proſtitutiones caſtitatis, illæ autem hos quærunt tanquam gloriæ ſuæ theatra. Pudet Sanctam amatorem inveniſſe; illæ vero gloriantur, quod ab amore J. C. aliquem deturbaverint. Sancta ſe nocentem autumat, quod oculi ſui libertatem Principi adoleſcentulo ademerint: illæ vero ſe innocuas putant, cum adfectatis obtutibus ſibi mancipia comparaverint, & tanquam dæmoniorum ancillæ imperii eorum & ſui fines protulerint. Vitæ veſtræ rationem intuemini: timete, ne cum tantum abhorreat a vita SS. funeſta ſit animæ veſtræ. Mementote honeſtæ mulieri negligendam eſſe formam ſuam, quia obeſſe poteſt proximo; metuendam eſſe, quia adverſatur caſtitati ſuæ; delendam eſſe jejuniis & vigiliis, quia & ipſi vanitatem ſuadet, & videntibus illam præbet vel tentationem, vel ſcandalum. *P. Senault in Panegyrico laudato.*

Dei odium meremur cum volumus amari ab hominibus.

Numquam ne vobis perſuadebitur, vos ſontes eſſe omnium peccatorum, quæ veſtra cauſſa homines perpetraverint; ſimul ac vobis mens eſt illis placendi, vos incipere diſpliceere Deo, atque ut S. Cyprianus ait, vos non amplius vacare culpa, ex quo voſmet ipſas amatis, vel ab aliis amari contenditis? *Dum hominibus placere geſtiunt, Dominum offendunt.* (*Cypr. de habit. Virgin.*) Sed longe nocentiores eſtis cum adſcititiis ornatibus, & mundo muliebri voſmet colitis; cum ea non contentæ forma, quam vobis natura largita eſt, illam augere conamini calamiſtris, & in templi ſimilitudinem exornatæ, cultores, ac idololatras comparare vobis contenditis. Scitote mulierem ſeſe comentem ad hominum oculos, & corda allicienda, coram Deo culpa non vacare; cum eorum elicit ſuſpiria, & affectus fovet, excuſari non poſſe, quominus de aliorum peccato inſimuletur, quandoquidem illi vel occaſionem tribuit, vel cauſſam. Quam diſerta hæc verba ſunt! Et quam vellem ſatis apta invenire ad eorum vim roburque exprimendum! Si voſmet ſumptuoſius apparaveritis, & ſi palam ambulantes luxurioſa quapiam veſte indutæ proceſſeritis, ita ut inter ceteras emicetis: ſi per nefarias has artes in voſmet adoleſcentium avidos oculos converteritis: ſi eorum corda abſtuleritis; ſi eorum foveritis deſideria, ac in illis flammas excitaveritis; ſcitote licet de vobis actum non eſſet, vos tamen honeſtæ mulieris honorem vobis vendicare non poſſe, quoniam ſuppeditaviſſetis virus, & enſem, quibus miſeri ſibi necem conſciviſſent. *Idem.*

Virgines ſunt Angeli terreni qui ita nobiles & puri ſunt, ut in terris familiaritatem habeant cū Angelis cōſuetudinem.

Si cuidam Eccleſiæ Patri licuit Angelos vocare Virgines Cæli, mihi videor jure appellare poſſe Virgines Angelos terræ, quia hic poſſident beatorum eorum ſpirituum prærogativas. Equidem ſcio poſt Incarnationis Myſterium, aliquod intereſſe fœdus inter Angelos, & homines; Angelos quidem hominum patronos eſſe, homines vero Angelorum pupillos Angelos eſſe hominum Magiſtros, homines vero Angelorum Diſcipulos, Angelos Reges eſſe hominum, homines autem ſubditos eſſe Angelorum; ſed Virgines ita ſunt nobiles, & puræ, ut cum adhuc in terris ſunt, familiariter cum Angelis agant, & ante ipſam reſurrectionem haberi poſſunt tanquam mortales Angeli: *de Familia deputatur Angelica*, Tertullianus ait, ac in terris poſſidere videntur felicitatem, quam reliqui fideles non niſi in Cælis ſperant ſe eſſe poſſeſſuros. Quod hominibus promiſſum eſt, Virginibus datur. Hæ habent effectum cujus illi ſpem habent tantum. Hæ non ſunt de hoc mundo, licet in hoc Mundo ſint: & ſi Mundus ſe illas poſſidere gloriatur, non habet tamen facultatem retinendi illas. Sed quin diutius immorer in probationibus veritatis exploratiſſimæ, liceat mihi illam conformare unico exemplo Sanctæ N. vobiſque oſtendere illam Angelum factam per Angelorum communicationem; illam ſæpe cum Angelis converſari, illius in terris munus idem eſſe, ac Angelorum in Cælis; & non ſecus ac beati illi Spiritus puritatem efflare. *Idem P. Senault.*

Hominibus ineſt aliquid Angelicū & aliquid brutale, & juxta deſideria ſua fiunt vel Angeli, vel bruta.

Quamvis homines Angelis cedant nobilitate, eadem vero præſtent brutis; hanc habent prærogativam, aut vitium, ut nihil ex utroque tenentes, ſecundum cordis ſui deſideria fieri poſſint vel Angeli, vel bruta. Si enim ſequuntur corporum ſtudia, bruta fiunt, & anima eorum licet excellens ſit, fit carnalis, cum nimiam habet cum carne neceſſitudinem; Sin e contra ſequantur motum animarum ſuarum, attollunt ſe ſuper ſe & quin corporibus exuantur, Angelis ſimiles fiunt. Inter ceteros autem qui ad hanc gloriam contendunt, nemo facilius illam conſequitur præ Virginibus. Nam licet ad illam Sancti omnes anhelent multifariam; & alii macerent corpus ſuum per pœnitentiam; & alii purificent illud per jejunium; alii elevent illud per orationem; fatendum eſt tamen non niſi Virgines ab eo perfectiſſime ſeparari. Nam licet debeant unum ex præcipuis bonis ſuis corpori ſuo, illud tanta cum ſeveritate pertractant, ut hoc tanquam infeſtiſſimum inimicum videantur intueri. Modo jejuniis utuntur, & vigiliis ad vires illius atterendas; modo ad illud puniendum dolores adhibent; modo ab illo recedunt per preces, & ſe ſe conjungunt cogitatione, ac deſiderio cum eo, quod amant, ut de Virginum corpore dici poſſit id, quod Tertullianus dixit de Beatorum corpore, illius qualitatem mutari, & fieri ſpirituale, aut Angelicum: *In regno Chriſti reformata, & Angelicata caro.* Et ſane Chriſtianæ Virgines negligunt corpus ſuum, contemnunt dotes ſuas, dolent propter ſuam pulcritudinem, & ne fiant criminum, quæ hæc gignit, cauſſæ, nullam habent requiem, niſi eamdem innocenti crudelitate deleverint. *Idem in Panegyrico Sanctæ Caciliæ.*

Sancta N. erat gratiæ prodigium illius puritas æquabat puritatem Angelorum quos fortitudine ſuperabat.

Hoc erat gratiæ prodigium, quod puella in peccatis nata, & cujus anima erat in corpore incluſa, æque eſſet pura, ut Angelus; quod carnem oppugnans in ipſa carne victoriam de carne referret: & quod cum inferior eſſet beatis Spiritibus, natura illis ſuperior eſſet virtute. Namque, ut præclare loquitur S. Petrus Chryſologus: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed Cæleſtis.* Vivere in carne, & nullum habere commercium cum carne, vita eſt, quæ Cælum potius redolet, quam terram; *& ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam adquirere majus eſt, quam habere.* Etenim Angelum eſſe, mera felicitas eſt, ſed Angelum fieri virtus eſt; & hac in re Angeli cedere debent Virginibus, quoniam hæ virtute ſua, & fortitudine obtinuerunt, quod illi hauſerunt a natura. *Idem.*

Sexus fragilitas prohibere non poteſt quo minus Virgines ſequātur exemplum Sanctæ N.

Ne conqueramini ergo, puellæ dilectiſſimæ, eo quod puellæ tantum eſtis; nam eſſe poteſtis Angelis glorioſiores; & Sancta. cujus diem feſtum hodie celebratis, potuit, licet ſexus obſtaret fragilitas, invidiam parere iis beatis ſpiritibus, quorum puritatem non æquavit ſolum, verum etiam ſuperavit, & nobis ſuis exemplis oſtendit nihil arduum eſſe virtuti magnæ in carnis infirmitate, ubi J. C. gratia fulcitur. Ita illa effecta eſt ita ſimilis Angelis, ut Angeli poſtquam illius admiratores fuerunt, facti fuerint illius amatores, atque fidelem adeo illi ſocietatem præbuerint, ut numquam fere videretur, quin illi præſto eſſet Angelus, cui illius cura erat concredita. *Idem:*

Exemplum compluriū Virginum, pro quibus ipſi Angeli laborarunt.

Non multas vidimus Virgines, quæ non aliquem habuerint Angelum, qui illarum non ſuſceperint curam. S. Dorothea vidit beatos hoſce ſpiritus exequi mandata ſua in vita, & poſt mortem. Angeli enim illius nomine flores attulerunt ad quemdam adoleſcentem, qui Sponſum illius irriſerat, & hyeme in media revocantes ver, hoc miraculo infidelem juvenem converterunt. Sanctæ Agneti adfuit Angelus, cum illius pudicitiæ vim inferre conabantur: ſpiritus ille amore, & ira percitus, vitam abſtulit filio Præfecti Romæ, qui ad Sanctam Virginem ſine reverentia acceſſerat. Illuſtris S. Catharina vidit Angelos ſibi ſolatium afferentes in carcere; ſe tuentes in cruciatibus, confringentes rotas ad illam perdendam paratas, & corpus ſuum tanquam in triumphum afferentes in Montem Sinai poſtquam de Tyrannis victoriam reportaverat: *Panegyricus Sanctæ Ceciliæ P. Seneault ex Oratorio.*

Angeli Sanctæ huic Virgini deſerviebant.

Numquam ulla virgo paratiores habuit angelos, qui ſibi deſervirent, quam inſignis Sancta N. videbantur enim puri Spiritus iſti Cælo abrenuntiaſſe, ut cum illa permanerent in terris. Hi aderant illi domi ſuæ, illam deducebant in Templum, ſequebantur in viis, cum ipſa in penetralibus concludebantur, & quocumque illa pedem efferret, numquam a fidelibus hiſce puritatis ſuæ cuſtodibus deferebatur. Quemadmodum autem Virgines ſunt Angeli terræ; videtur hoc illos officium peculiariter debere: eumque liberatæ ſint ab omnibus vitæ ſollicitudinibus, jugiter illis vacandum eſſe, ut Sponſi laudes concinant. Neque enim tenentur preces effundere pro virorum ſuorum valetudine, pro Filiorum ſuorum incolumitate, neque pro familiæ proſperitate; eumque J.C. ſit illis omnia, nihil aliud facere tenentur, quam illum laudare, eique placere. Illæ ſequuntur Agnum quocumque ierit; ingrediuntur in illius penetralia; explorata habent omnia ejus conſilia; vident pulcritudinem, quantum vitæ hujus patitur miſeria, & inceſſanter Sponſi ſui laudes concinunt; recinunt Canticum, quod alii recitare non poſſunt, & vident omnes occupationes ſuas in id unum redactas, ut ſequantur Agnum, & illi benedicant. *Nemo poterat dicere canticum illud niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.* (*Apoc. 5.*) Et ne dubitaretur, a S. Joanne hic intelligi Virgines per hunc ingentem perſonarum numerum, addit ſimul. *Hi ſunt qui cum mulieribus, non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Idem.*

S. N. vacabat laudibus Dei, & caſtitatem in cordibus imprimebat.

Angelus hic, vel Virgo non aliam habebat occupationem, quam laudandi Sponſum, quam benedicendi bonitati illius, quam miſericordiam ejus deprecandi, quam placandi juſtitiam ejus, eamque mortalibus omnibus propitiam efficiendi. Sed vocem ſuam cum organo conſociat, animat inſtrumentum hoc anima deſtitutum, ut creaturas ſenſu carentes ad concinendas Sponſi laudes edoceat: *Cantantibus organis decantabat.* Sed ſicuti Virgines ſunt Angeli terræ hujus, eoſdem producunt effectus, imprimunt caſtitatem in corporibus, & ſi minus eos, quos vident, Virgines faciunt, ſaltem faciunt continentes. Aliqua adeſt pugnæ ſpecies inter puritatem, & pulcritudinem illarum; hæc illis licet invitis mala parit deſideria, viros ad mallum ſollicitat, eoſque a Creatore ſemoventes, injuſte ad creaturas convertit. Species enim in Virginibus ipſis, immunis non eſt ab hoc infortunio, & quaſi illa magis addicta eſſet dæmoni præ ceteris rebus, hic utitur illa ad perdendos homines, eoſque idololotras efficiendos, vel impudicos. Quamobrem Tertullianus optabat, ut pulcritudo exſularet a mundo; ſolus enim effectus, quem parit, impuritas eſt, & incontinentia. *Ubi pudicitia, ibi vacua pulcritudo, quia proprio uſus, & faſtus pulcritudinis*

nis corporis luxuria, (*De cultu femin.*) Sed puritas in Virginibus adverſatur conſiliis formæ, & hanc per pœnitentiam imminuens, conatur caſtas dumtaxat cogitationes injicere, & J. C. dumtaxat adoratores adquirere. Contendit augere numerum Virginum, homines in Angelos convertere, & evellere corda illorum a rebus fluxis, & perituris ut ad æternorum amorem incendat. *Sanctæ Ceciliæ Panegyricus P. Senault.*

Virgines gloriari nō debent de Virginitatis ſuæ præſtantia, ſed e contra humilitatis ſenſus fovere debēt.

Inter omnes animas, quæ accurate cuſtodiunt puritatem interiorem Chriſtianis omnibus communem, non deſunt, quæ ſervant adhuc virginitatem corporis, & quæ ſunt ſecundum Patrum ſententiam illuſtrior portio gregis Dominici. Hæ Deo peculiari modo ancillantur, uni illi placituræ, nequaquam ancipiti cura diſtractæ, ut placeant & viro. Vivunt in carne corruptibili, quaſi carnem non haberent, & in corpore vitam ducunt Angelicam. Sed cuinam acceptas referre debent has prærogativas, niſi illi, qui prior dilexit eas, & qui illis hanc permittit facultatem, ut ſeſe totas illi devoveant? Attente hæc audiant verba: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* In hoc ſuam conſtituant gloriam, quod ad illum pertinent; ſed hanc ipſam illi gloriam reddant, quia nonniſi donum miſericordiæ ipſius eſt, quo ad illum pertineant. Quo majores ſunt in oculis hominum per ſtatus ſui excellentiam eo debent eſſe humiliores, ut magnæ ſint in oculis ejus, quem amant. Virgo ſuperba, Sanctus quidam ait, eſt virgo adultera; quia corporis puritas nihil prodeſt ſine humilitate, quæ eſt animæ virginitas. Se ipſas putent tanquam vaſa fragilia, in quibus voluit Deus magnum theſaurum recondere, ut eniteat poteſtas gratiæ ſuæ, & inceſſanter pendeant ab illo, a quo ſuſtinentur; & a quo illæ ſecedere nequeunt, quin confringantur, & quin jacturam patiantur divitiarum ab illo ſibi concreditarum. Invigilent illæ ſibimet, ut ſe puras ſponſo tueantur ſuo, qui illas amat amore zelotypiæ eo fortiori, quo plures ipſis gratias impertiit, & ab illo mutuentur, ut ita dicam, oculos zelotypos, ut ſemetipſas inſpiciant, & videant ne quid in illas irrepat quod illum valeat offendere. Meminerint tandem, ſi illæ ſunt Virgines J. C. ideo noluiſſe eſſe ſub virorum poteſtate; ut eſſent non ſuimet ipſarum, ſed Chriſti; ideoque indeſinenter illis habendam eſſe curam integerrimæ hujus puritatis, cum qua ſe debent offerre coram illo ea die, qua vocabuntur. *Annus Chriſtianus, Tomo 6.*

Virgines quærere debent, quomodo Placeant Deo.

Virgines non ideo ſunt Virgines, ut placeant ſibi, neque liberæ ſunt, ut ſuam tantum voluntatem ſequantur; ſed ut placeant Deo, ut ſerviant Creatori corde magis mundo, & mente magis libera, & affectu magis integro, quia non ſunt ulli creaturæ ſubjectæ. Sanctæ eſſe debent corpore, ac ſpiritu. Corporis ſanctitas eſt modeſtia, puritas, ſolitudo, ſilentium, ſimplicitas veſtium, inanium horror indumentorum, contemptus ſpeciei, quæ non niſi oculos fallere poteſt, quibus placere velle non debent. Sanctitas Spiritus eſt profunda humilitas animæ intelligentis quid debeat Deo per gratiam quam conſecuta eſt, ſe ſe illi devovendi. Virgo enim, quæ ſancta eſt, nequaquam ſe ſupra ceteras exaltavit; quo magis ornata eſt Cæli donis, timet magis, ut ſe indignam illis præbeat, & ſciens ſe nihil poſſe ſine ſponſo ſuo, de ſe diffidit, inhæret illi; omnem in illo ſuam confidentiam conſtituit, opem illius indeſinenter implorat, illi gratias agit ob ea quæ habet, & ab eo petit, quæ non habet. Virgo quæ hanc non habet humilitatem, non eſt amplius ſancta, non eſt amplius virgo ſecundum ſpiritum; ſuperbia ejus fit ejuſdem impudicitia. *Idem,*

Sancta hæc a pueritia mundi vanitates contempſit, & orationi vacavit.

Sancta N. a teneris unguiculis contemnere didicit ſæculi vanitates, fugere ſocietates, quæ illam ab oratione avocabant, & a familiari conſuetudine cum Jeſu Chriſto, nec non a praxi virtutum, quas diligentiſſime colebat frequenti oratione. Hoc enim potiſſimum erat illius negotium, in quo tot delicias nanciſcebatur, ut inde avelli non poſſet, neque fatigari, quominus quaſdam repeteret preces, quas illam pia mater docuerat. *Jeſu Patris Movet.*

Domine, quid mihi prodeſſet corporis ſolitudo, ſine ſolitudine ſpiritus? Nuncupavi perpetuæ clauſuræ votum, ſed hoccine eſt ſervare votum meum, quam late patet, cum ſola in clauſtro a ſæculo ſeparata evolat anima mea & errat in Mundo? Hoccine eſt Religioſam eſſe, ſi intra arctos coactæ ſolitudinis cancellos, ubi oculi mei neminem vident, facultatem permitto menti meæ ſe ſe replendi omni idearum genere, quæ me perturbant, & agitant, credere ne poſſum, me fideliter ſervire Deo, ſi procul a ſæculo per profeſſionem meam, ad illud redeo deſideriis, & cogitationibus? Hæc nihilominus, Deus meus, eſt illuſio, in qua hactenus verſata ſum; contenta permanendi in cellula quo memet per amorem concluſi, ſæpe in corde meo reviviſcere facio, quidquid tibi ſacrificavi. Tenera Patris, Matriſque meæ recordatio, vel fratris, ſororiſve ſingulis momentis occupat ſpiritum meum. Si Mater tua, Salvator amabilis, non invenit te inter *Cognatos*, & notos, quomodo te ego inveniam inter cognatos meos? Si Canticorum Sponſa non invenit Cæleſtem Sponſum *in viis Jeruſalem*, quomodo te inveniam in Mundo, ubi ſum mente, cogitatione, cupiditate? Deus non loquitur, ubi vox ipſius audiri non poteſt. *P. Gentilis in libro, qui inſcribitur, Solitudo Virginum.*

Virginitas in utroque ſexu præſtantiſſima virtus eſt

Quemadmodum Virginitas una eſt inter præſtantiſſimas terræ virtutes, eſt etiam una inter illas quæ majoribus afficiatur honoribus. Rariſſimæ gratiæ illi reſervari videntur, & præclariſſima privilegia illi ſunt loco præmii. Si Sacrificium Abel acceptum fuit Deo, ideo fuit, quia Sacerdos illud offerens erat virgo. Si Joſue Solem retardavit, inde factum eſt quod hoc aſtrum tam puritatem ejus, quam nomen coluit. Si Elias in Cælum igneo invectus eſt curru; non minorem in hoc miraculo partem obtinuit virginitas ejus, quam zelus ejuſdem: & ſi Daniel cicurivit Leones, & feroces, eſurienteſque belluas perdomuit, prodigium hoc illius tum caſtitati, tum abſtinentiæ acceptum referendum eſt. Sed dicamus, ſi Maria electa fuit Dei Mater futura, id contigit, quia voverat Virginitatem: quod ſi Joannes Baptiſta meritus eſt eſſe Præcurſorem J. C.; hoc evenit, quia puritatem cum pœnitentia conjunxerat; & ſi S. Joannes Evangeliſta dignus habitus fuit qui in J. C. locum ſubſtitueretur tanquam Filius Mariæ, hoc factum eſt, quia ille Virgo erat, non ſecus ac illa. Quia ex tot Apoſtolis, qui ſecuti ſunt Mundi Salvatorem, & qui illius amicitia digni habiti ſunt, S. Joannes Evangeliſta vel unicus, vel primus fuit, qui puritatis ſuæ Sacrificium offerret. *P. Senault in Panegyrico S. Joannis Evangeliſtæ.*

Maria fuit perfectum exemplar amoris quo Virgines perſequi debent puritatem.

Licet Maria virtutes omnes amaverit; puritas, ſi ita loqui fas eſt, fuit virtus illi accepțiſſima, & cordis ejus deliciæ. Amavit illam tanquam virtutem, cujus præcipuum honorem accepit; & quam præ reliquis omnibus magis honoravit. Amavit illam tanquam virtutem, cui debet auguſtiſſimam qualitatem Matris Dei; Cum enim Deus ſit primus Virginum, non niſi ex Matre Virgine naſci poterat. Quinam hinc acceſſit honor puritati! Sed quænam gloria Virgini ſexus fragilis, eximiæ pulcritudinis, vixiſſe in terris eadem puritate, qua Angeli in Cælo? Virginitas eſt ornamentum, & corona Virginum; ſed tu Dei mater caſtiſſima es ornamentum, & corona ipſius Virginitatis. *In ſolitudine Virginum P. Gentilis.*

Deus plura edidit Miracula, ut virgines præſervaret.

Nonnumquam Deus operatus eſt miracula præſervaturus Virgines, quæ humilitatem cum puritate conjunxerunt, & quæ nequaquam intumeſcentes propter virtutem, qua fiebant Angelis ſimiles, meminerant ſe æque fragiles eſſe, ac homines. Luciam ita immobilem reddidit, ut plura bovum juga illam de loco pertrahere non potuerint trahendam ad turpitudinis locum, ubi erat proſtituenda. Mentem immiſit Chriſtiano militi opem ferendi Virgini Chriſtianæ tanto huic objectæ dedecori, & veſtes cum illa commutandi, ut illius conſulens integritati hac arte, quæ omni carebat fraude, ſibi in præmium Martyrii palmam compararet. Horum duorum fidelium contentio mirum in modum ab eloquentia Sancti Ambroſii deſcripta eſt, & licet illam in medium proferens videat ab argumento aberrare, hic tamen eam referam; hoc enim ſemper eſt propoſito inhærere argumento, quod eſt elogium puritatis perſequi. *Idem.*

Pium militis ſtratagema ad ſalvandā Sanctam Virginem ab infamia.

Ne quæſo paveas ſoror; frater huc veni ſalvare animam, non perdere: Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis martyr egrediar. Veſtimenta mutemus, conveniunt mihi tua, ſed utraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem facit, mea te virginem: ſume habitum, qui abſcondat feminam, trade, qui conſecret Martyrem. (*Ambroſ. l. de Virginib.*) Credit illa ſuadenti, & pia hac fraude defendit honorem ſuum, & militi ad Martyrii palmam locum aperuit. *Idem in Panegyrico Sanctæ Agnetis.*

Luculenter S. Ambroſius (*Ambroſ. ibid.*) ait, *non ideo laudabilis virginitas eſt, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat*, Et ſane qui ſibi in vita interdixit voluptates, haud ægre ſuſtinet tormenta, ubi ſeſe illi offerat occaſio, & ille gloriari poteſt ſe cælibem vitam ducentem ponere tyrocinium Martyrii: ita ut de Virginibus dicere poſſimus, quod de Chriſtianis omnibus Tertullianus ait: *Vita Chriſtiani eſt diſciplina Martyrii.* In divina ſchola hæc illuſtris Sancta N. ſe ad Martyrium præparavit & vincens delicias, didicit ſuperare tormenta. Duo hæc incepit exercitia, ex quo rationis uſum adepta eſt; & ſibimet imponens pœnitentias, carnificum crudelitatem prævertit. Jejunium æque illi familiare fuit, ac oratio; alebat animam ſuam eo, quod corpori ſuo negabat, & quaſi neceſſitudinem inire voluiſſet cum morte, dies, noctesque tranſigebat, quin cibum, ſomnumque caperet. Nomen, quo appellabatur, videbatur portendere, quod aliquando erat futura, & Providentia, quæ permiſerat, ut Agnes vocaretur, videbatur illam jam deſtinaſſe Martyrio. *Nomen ejus*, S. Ambroſius ait, *oraculum eſt martyris, & indicavit, quid eſſet futura.* (*Ambroſ. ibid.*) Quod vero illius prælium magis commendat, & victoriam ejus reddit illuſtriorem, eſt illam ſuſtinuiſſe Martyrium ea ætate, qua alii ne leviſſimos quidem dolores valeant perferre; tertium ſupra decimum agebat annum cum ad Judicem rapta fuit; & quicumque de illius fortitudine ex habitu corporis ferebant judicium, exiſtimabant, pollicitationibus tantum illa falli poſſe, vel minis deterreri: *Patris Senault in Sanctæ Agnetis Panegyrico Tomo I.*

Virginitas e Cælo ſuā ducit originem.

Virginitas, ſi credimus S. Ambroſio, qui ſæpe illam laudibus extollit, non invenit locum nativitatis ſuæ in terra, ſed in cælo, cumque illa ſit integritas perfecta, ab omni contagione immunis, terram pro patria habere non poteſt, quæ ſedes eſt impuritatis, & ſordium. *In cælo profecto eſt patria caſtitatis, quæ nihil aliud eſt niſi expers contagione integritas.* Pro ſociis habet Angelos, & ſicuti beati Spiritus iſti ſunt Virgines Cæli, dici quoque poteſt Virgines eſſe Angelos terræ: ſed pro exemplaribus, ac prototypis habere Jeſum Chriſtum, & Mariam. Nam quantumvis hæc mater ſit, non ceſſat Virginem eſſe, & divina potentia operata eſt maximum miraculorum omnium ut in Deipara cum Virginitate fecunditatem compararet. Jeſus Chriſtus ſibi aſſumpſit quod egerat in Matre; & poſtquam fuit Filius Virginis, voluit

& ſe Virginem eſſe: & in perſona ſua virtutem hanc conſecrare. *Atque ipſe repræſentavit*, S. Ambroſius inquit, *quod elegit in Matre. P. Senault in Panegyrico S. Margaritæ Tom. 2.*

Præclaræ dotes Sanctarum Virginum.

Virgines omnes Reginæ ſunt, vel quia ſunt Sponſæ J.C. qui rex eſt, vel quia cum ſibi corporeas voluptates interdixerint, quæ homines reddunt mancipia; illæ non quidem captivæ, ſed Principes ſunt. Pulcræ ſunt, quia puræ ſunt; pulcritudo illarum, quæ in anima potius, quam in corpore ſedet, nulli eſt obnoxia mutationi: anni, qui aliarum formam eripiunt, parcunt fortunæ earum, quæ cum ipſarum ætate creſcens illas Sponſo gratiores facit. Quid autem illis majus bonum procurare poteſt, quam eaſdem Regi ſuo amabiles facere, quam probare illas judici ſuo, eas Deo ſuo conſecrare, illius ſponſas facere, eaſque ſemper Virgines conſervare, ne amor illius ullum inveniat finem, & pudor earum nullo detrimento afficiatur? Ad hæc accedit, quaſi honoris cumulus, veram Virginitatem ornamenta contemnere, neque alia cognoſcere, niſi virtutes, illam amare abſtinentiam, & orationem, ac traducentem dies quidem in jejunio, noctes vero in oratione ſe ſe a peccatis defendere, quorum cauſſas ignorat: *Cibus parſimoniæ, potus abſtinentiæ, docet vitia neſcire, quia cauſſas docet neſcire vitiorum.* (*Idem ibid.*) Denique cor illarum diviſum non eſt: nequaquam partiuntur ſe inter viros, & filios, & Jeſus Chriſtus, cum illis ſit omnia, unicum eſt amoris earum objectum. Sancta N. his bonis illecta puritatem ſuam Filio Dei conſecraverat: imitabatur vitam Angelorum in terra, comitabatur Agnum ſuis cogitationibus, ac deſideriis. Regnabat licet eſſet captiva in domo Patris ſui; puritate alliciebat Sponſum ſuum, & pulcritudine illius creſcente cum virtute, in ſingula momenta in amore ipſius procedebat. Vigiliæ ſæpe requiem illius interpellabant, ut diutius cum amaſio ſuo colloqueretur, & Angelo ſimilior, quam virgini divinam potius, quam humanam vitam ducebat. *P. Senault in Sancta Margharitæ Panegyrico, Tomo 2.*

Jubet Apoſtolus, fideles ab impuritate ita abeſſe debere, ut ipſum nomen ignorent.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis. Vult Apoſtolus fideles ita ab hujuſmodi vitiis abhorrere, ut ne ex nomine quidem ea norint. Avaritiæ nomen Sanctus Hieronymus hoc in loco putat ſignificare quodvis obſcenitatum genus. Licet hominis cor ſit corruptum, & corruptio hæc ſit generalis; puritas tamen ſemper erit amica virtus Sanctorum, & character nitidior, & melius connotatus virorum Fidelium. Ex hac nota plurimi ne Fideles hodierna die cognoſcuntur? Auditur ne in vobis *aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas?* Quid dixiſſet Apoſtolus ſi adfuiſſet in profanis ſæculi noſtri cœtibus? Sermonis, verborumque inutilitas hodie illud non eſt, quod in ſæcularium colloquiis ſit reprehendendum: quæ flagitioſa licentia in iis, quæ ſiunt converſationis hodiernæ argumenta! Quam obſcenæ imagines in alluſionibus! Quæ turpitudo in verbis! non pudet eorum, propter quæ Ethnici olim rubore ſuffundebantur. Sine hoc tale converſatio languet: Amatoriæ nugæ; Fabellæ; opera corruptæ mentis per corruptionem cordis; amatoria carmina; en quænam ſit hodierna occupatio; en quid animos recreet. Sed verba hæc obſcena, ſermones æquo liberiores, hæ virulentæ æquivocationes, hæ laſciviæ, & ſcurriles joci, libelli eleganter conſcripti, ubi nimium ſalis, ac veneris invenitur, a quibus Chriſtianiſmi Spiritus proſcriptus eſt, quot animas perdunt! Nam vobis perſuaſum eſſe debet, idem pergit Apoſtolus, *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei.* (*Epheſ. 5.*) Heu! Domine, quot mortales hodierna die abrenuntiant huic hereditati! Impuritas vocatur avaritia; quia per hoc vitium homo negat cor ſuum Deo, illud voluptati daturus. In Exodo, Levitico, Deuteronomio pluribuſque aliis Scripturarum locis fornicatio idololatria nuncupatur; in utraque enim homo creaturam ſibi tanquam Deum ſtatuit, eique omnia ſacrificat: *Nolite ergo fieri participes eorum.* Nulla devotio eſt, quæ non corrumpatur, ubi cum flagitioſis neceſſitudo ineatur. Nihil hoc commercio contagioni propius. Sanctus Paulus impudicos vocat filios tenebrarum. Profecto nihil magis craſſiorem efficit mentem, nihil magis rationi obducit caliginem, nihil facilius fidem extinguit, quam hoc teterrimum vitium. *P. Croiſet in Aſceticis, Tomo 2.*

Severitas, & extenſio caſtitatis.

Caſtitas cum perfecta eſt, nihil permittit oculis, præ foribus aurium ſedet, ſingulis invigilat verbis. Regit, ac reformat imaginationem; ira ſuccenditur adverſus cogitationes, quæ præter voluntatem oboriuntur; timet etiam deſideria, quæ deteſtata eſt, poſt cautelas omnes adhibitas reformidat, & nonniſi in humilitatis ſinu tutam ſe eſſe arbitratur. Precibus, ſanctiſque lectionibus paſcitur; timet minimum quodvis intervallum, quod non aliquo officio repletum eſt, neque minus nimis acres expaveſcit occupationes, quæ adimunt pietati ſuccum, & unctionem, qua indiget. Diffidit de triſtitia, qua tanquam velo utitur dæmon, ut injiciat in cor tela inflammata, quæ torpor in quo eſt, nimis diu negligit. Sed multo magis ſibi cavet ab inani lætitia, quæ animam emollit, eamque minus cautam efficit, minuſque vigilantem. Summa cura evitat conſuetudinem eorum, qui minus prudenter, & caute vivunt. Inter ſe, & periculum, maximam, quam poteſt interjicit longitudinem, & nullum ferre videtur illi intereſſe diſcrimen inter lapſum, atque temeritatem: etenim unum, & idem eſt vel præſumere, vel ſuperari; ſuperbia quippe prima eſt hominis impuritas, altera vero plerumque pœna eſt. *Auctor Anonymus.*

Puritatis amor efficit, ut evitemus pravas ſuſpiciones, quæ de nobis ſuboriri poſſunt.

Tertullianus animadvertit, ubi virtus aliqua amatur, neminem velle incidere in ſuſpicionem vitii, quod illi adverſatur: *Rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.* (*De Carne Chriſti c. 3.*) Si horres impudicitiam, quantum in horrore habenda eſt, non ſolum non debes fugere quidquid cor tuum poteſt corrumpere, ſed oportet, ut ratio vitæ tuæ ſit irreprehenſibilis & ne teterrima quidem calumnia tibi valeat atrum loliginis ſuccum aſpergere. Fruſtra igitur vos urgeo ut commercium hoc abrumpatis, de quo jam pridem rumor percrebuit; reſpondetis enim, nullum umquam magis fuiſſe ab omni ſuſpicione vacuum, & magis innocuum. Credo equidem, ſed nonne verum eſt, pluribus hanc neceſſitudinem diſplicuiſſe? Nonne locum præbetis, ut de vobis obloquantur homines, & vos audiatis male? Numquid ultra requiritur, ut teneamini illud ſequi conſilium, quod vobis præbetur? Quicumque diligit puritatem, numquam patietur vel ipſam vitii ſpeciem huic virtuti oppoſitam ſibi exprobrari. *Lambert.*

Tutiſſima ratio prohibendi mala judicia, quæ de nobis fiunt, eſt cauſſam removere.

Ejice quamprimum de domo tua illam cui nimis adhærere inſimulatis. Quaſcumque cauſſas ad tuam excuſationem afferas, reus es, ex quo illam pertinaciter retines. Dicis tibi eſſe neceſſariam, ego vero dico tibi magis adhuc eſſe neceſſariam tui nominis bonam exiſtimationem. Dicis notam eſſe hominum improbitatem, & illos temere innocentiorum vitæ labem aſpergere; ego autem reſpondeo, nequaquam temere vitæ tuæ rationem cenſoria nota perſtringi, ubicumque tibi placuerit, in tua poteſtate futurum temet excuſare, & finem facere pravis rumoribus, qui in vulgus manarunt. Ubi quis ſeipſum excæcare vult, rationes affert ſine, numeroque carentes; ego vero unicam habeo, quam objiciam tibi: ultro, & æquo animo ſuſtines ſuſpiciones, quibus finem facere tuum eſt; ergo puritatem non diligis. *Lambert.*

Vera puritas non in eo ſita eſt, ut non tentemur, ſed ut acriter propulſemus tentationes, ac de tentatore triumphemus.

Sanctus Hieronymus docet, ex quo nos adoritur inimicus, tempus nobis amittendum non eſſe, ſed pugnandum eſſe cum illo ſtatim ac nobis obviam incurrit. Nolite, ait ille, dare locum diabolo, donec ſeſe communiat. Vos prius illi occurrite, eumque ſuperate, donec imbecillus eſt, & illius impetus minus ſunt violenti. Neque putetis vos umquam ab eo pacem obtinere poſſe, quæ non perturbetur. (*D. Hieron. de cuſtodia Virginum.*) Non deſunt, Sanctus Auguſtinus ait, qui, eo quod ſummo proſequuntur amore puritatem, exiſtimant omnes tentationes nocere poſſe puritati animæ ſuæ: cuperent habere pacem, qua in hac vita frui minime poſſunt; vellent non tentari. Sed diſcant non in eo poſitam eſſe veram puritatem: tentationes noxiæ non ſunt, niſi illis, qui eas provocant vel negligentia ſua, vel nimia vivendi licentia, quam ſibi vindicant. Sed qui vigilat, qui accurate reprimit omnes ſenſuum ſuorum motus, qui ſibimet ſeverus ſit irreconciliabilis ſuarum cupiditatum perſecutor: tantum abeſt, hunc nocentem eſſe, cum illum urget tentatio, ut cum de certamine victor egreditur, novum meritum adquirat. Deus illum tentari permittit, ut ejus fidelitatis periculum faciat, & illi præbeat occaſionem dimicandi, & vincendi. *Idem.*

Impudicus mavult ab renuntiare luci Solis quam voluptati. Rei hujus exemplum.

Narrat S. Ambroſius Theotinum quemdam hominem ſuis voluptatibus perdite inhærentem maluiſſe oculorum ſuorum jacturam facere, quam voluptati abrenuntiare. Miſer hic in ardore impudicitiæ ſuæ ſenſit cæcitatem, quæ illum erat ſecutura, & decrevit potius lumine oculorum privari, quam brutalem libidinem moderari. *Vale*, exclamavit, *vale amicum lumen.* Jucundum Solis lumen non amplius videbo te: ſed explebo meam libidinem. Hoc ipſum dicere poſſunt mortales voluptatibus abditi ex ipſo libidinum ſuarum principio, niſi pœnitentia illos ab impendentibus malis præſervet. Divinæ veritates, adorabilia Spiritus Sancti lumina, ſalutares gratiæ radii mihi non ultra effulgebitis: Dominus effundet vos in animam meam, nec vos videbo. Fruſtra ab alto illuſtrabor: in tenebris ambulabo, & cæcitas mea me in abyſſum deducet. En quo redacti eſtis vos, in quibus, obſcena dominatur tot annos impudicitia. Ecce quid vobis opperiendum eſt, qui hodierna die tot innodati eſtis turpiſſimis vinculis, quæ mors enodabit, illa vobiſcum in ſepulcro tumulatura. *P. la Peſſe.*

Caſtitas, & puritas proprius eſt Chriſtiani character, & virtus unice Dei Filio dilecta.

Caſtitas virtus eſt Filio Dei adeo accepta, ut illius zelotypus dici poſſit. Hæc una eſt, quæ in ſeipſo noluit tentari. Phariſæi, dum ille viveret, plurima quidem illi crimina objecerunt; Carnifices mortis ejus tempore injuriis, & opprobriis affecerunt illum, ſed neque Phariſæorum criminationes, neque carnificum contumeliæ nequaquam illum tetigere ea in re, quæ maxime illi cordi erat. Paſſus eſt ſe non credi Filium Dei, de ſe dici, quod in nomine Beelzebub, & non per divinam potentiam ſuam ejiceret dæmonia; vocari hominem abdomini indulgentem, energumenum, blaſphemum, Samaritanum, hoc eſt Religionis inimicum, appellari publicæ quietis perturbatorem, ſed ſibi impudicitiæ crimen inferri paſſus non eſt. Quantum ergo pretioſa nobis eſſe debet caſtitas? Hæc proprius eſt Chriſtifidelium character: ſine hac nequeunt eſſe membra digna hoc corpore myſtico, cujus caput eſt Jeſus Chriſtus. Fruſtra illi, qui cæcorum inſtar, naturæ corruptæ motus ſequi volunt, dicunt omnino fieri non poſſe, ut eam tueantur ſpiritus, corporiſque puritatem, quam poſtulat Evangelium. Gratia ad id aptos efficit quicumque velint ſequi motus illius; neque habendum eſt tanquam impoſſibile id, quod vulgatiſſimum erat primis Eccleſiæ temporibus. Felicium eorum

ſæcu-

ſæculorum hiſtoria oſtendit, Chriſtianos tunc temporis ſatis palam cognoviſſe meritum virtutis hujus admirabilis, quæ argumentum erat omnium cogitationum; & finis omnium actionum ſuarum. *Sermo de puritate Accademiæ Pariſienſi oblatus anno 1677.*

Puritas hominis quodammodo pluris facienda eſt quam puritas Angelorum, & quare.

Corporis puritas virtus eſt tanto habenda in pretio, ut cum nos incolumes tueatur tot inter occaſiones pereundi, dici poſſit, ab hac Angelicam puritatem ſuperari, & cum illa jure poſſe comparari. In altera homo ſupra ſeipſum ſe attollit, in altera Angeli in ſuo naturali ſtatu ſubſiſtunt. Angeli puri ſunt, quia a corpore ſecreti ſint, quod fertur propenſione quadam ad impudicitiam: homines puri ſunt, licet in corpore vivant. Hominum puritas cauſſa eſt certaminis, & ſeges triumphi; Angelorum autem ſtatus eſt tranquillitatis, ubi Angelus cum ſeipſo pacem habet. In hac ſatis eſt, Angelum ſequi naturæ ſuæ nobilitatem; in altera homini pugnandum eſt contra naturæ ſuæ corruptionem. *Sermo tertius Accademiæ oblatus anno eodem.*

Virginitatis effectus eſt, quod homines fiant Angelis ſimiles.

Quanam in re Angeli ſuperiores erant Eliæ, Eliſeo, Joanni Baptiſtæ, inſignibus illis Virginitatis exemplaribus, niſi quod Angeli corpus non habent? Ceteris in rebus ſatis ſunt ſimiles, quod autem hominum gloriam videtur imminuere, commendat meritum puritatis eorum, quod non ſine difficultate ſervari poteſt, cum ita infirmi, ac imbecilles ſimus, ut ſumus: Si ſummi illi viri uxores habuiſſent, & filios, non potuiſſent in deſerta conſcendere, ut fecerunt, & domos, familiaſque ſuas deſerere. Verum hoc obice amoto, vivebant ſuper terram vitam Angelicam ſine tecto, ſine cubili, ſine menſa, quin tenerentur earum rerum deſiderio, quibus vulgo mortales indigent. Cælum erat illis pro tecto, terra pro cubili, ſolitudo pro menſa; deſertum illis ſuppeditabat, unde mortem arcerent, & ne fame interirent. Inter neceſſaria nequaquam computabant vineas, prata, meſſes. Aqua ſufficiebat illis ad levandam ſitim, & ſuper terram vivebant in corpore corruptibili, perinde ac induti eſſent immortalitate. Terrena omnia illis videbantur ſupervacanea. Hoc autem operabatur in illis vita honeſta, & frugi, quæ eorum virginitati comes acceſſerat. Multum meretur, qui ſuis inconditis reſiſtit cupiditatibus, ſed unum hoc meritum ſatis non eſt ad homines ſalvos faciendos, niſi eorum puritas vitæ integritate fulciatur. Hoc probari poteſt eorum exemplo, qui virginitatem profitentur; & qui nihilo ſecius ab Eliæ, Eliſæi, & Joannis Baptiſtæ perfectione toto cælo diſtant. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

Caſtitas non prodeſt niſi ſit cum bona vita conjuncta.

Caſtitas nullam habet vim niſi honeſta, & regulari vita fulciatur. Sed ubi utraque conjuncta eſt, fons eſt uberrimus omnium bonorum: radix conſita in agro uberi, ac fertili, qui profert fructus in copia. Vita crucifixa ſimul radix eſt, ac fructus caſtitatis, qui omnes perfringit obices, quibus homines prohibentur, ne ad altiorem perfectionis gradum perveniant. *Idem.*

Virginitas ſpiritus a corporis puritate ſejungenda non eſt.

Corporis virginitas non prodeſt, niſi quatenus operatur ſpiritus virginitatem: alioquin hoc eſſet redigere religionem ad corpoream privationem, & praxim Judaicam. Carnem ſubigere non prodeſt, niſi ut ſpiritus liberior fiat, & in Dei amore ferventior. Hæc virginitas corporis non aliud eſt, niſi conſequens incorruptibilitatis animæ virginis, quæ nulla mundana affectione polluitur. Amaſne id, quod Deus non amat? amaſne, quod Deus amat, ſed amore alio ob eo, quo ille amat? Jam virgo non es. Etiam ſi corpore virgo eſſes, hoc nihil eſt; neque enim virgo amplius es ſpiritu. Flos hic adeo ſpecioſus emarcuit, ac pedibus calcatus eſt. Indigna creatura, mendacium impurum, ac turpe aufert amorem, quem ſolus tibi ſponſus vindicabat; tuque illius zelotypiam irritas, ſponſa infidelis: adulterum cor tuum ſeſe aperit inimicis Dei. Revertere, revertere ad illum, audi quid dicat Sanctus Petrus. *caſtifica animam tuam in obedientia caritatis.* (*1. Petr. 1. 22.*) Videlicet, caritatis lex, quæ omnia refert ad Deum, ſola eſt, per quam anima eſſe poſſit virgo, & digna ſacris Agni nuptiis. *Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus in delectis Sermonibus.*

Pudor efficit, ut honeſta perſona leviſſimam etiam labé perhorreſcat.

Pudor nobis magnum incutit terrorem, ne aliorum oculos, vel minima indecentia lædamus. Quid amabilius puella, quæ ſecum geſtat in ſocietatibus hanc conſcientiæ puritatem, ut leviſſima noxæ alicujus umbra perturbetur? Modeſtia ſua in honore habens eos, cum quibus conſueſcit, ſibi omnium honores promeretur: & tantum abeſt, ut in incompoſitam hilaritatem erumpat, ut ipſa aliis ſit norma per verecundiam. Si pudet illam malum aliquod cogitare, vel facere, magis Dei, quam hominum oculos reformidat. Deus enim multo ſeverius quam nos damnat, quidquid virtutem non decet. *P. la Peſſe Tomo 5.*

De diſcrimine inter connubium, & virginitatem.

Fatendum eſt, virginitatem conjugio præferendam, & illam huic tantum excellentia præſtare, quantum Cælum terræ, & Angeli hominibus. Angeli non nubunt, ſed etiam carne, & ſanguine coagmentati non ſunt. In terra non ſunt, non ſentiunt aculeos concupiſcentiæ, non indigent cibo, vel potu, non adhibent aures obſcenis cantionibus, neque oculos figunt in formoſarum puellarum facie. Nulla re tentantur; in æterna vivunt tranquillitate, cupiditatibus vacui; ideoque mirum eſſe non debet, ſi ſemper ſuam ſartam tectam tuentur virginitatem. Virgines etiam æque ac Angeli; minime nubunt; jugiter ut illi, Dei cultui vacant, &c. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Semper invigilandum eſt contra impetus concupiſcentiæ.

Job licet Sanctus eſſet, credebat fieri nequaquam poſſe, ut ſimul cum virgine moraretur, & ſuam tueretur puritatem: immo non audebat in faciem ejus reſpicere, quia curioſitas iſta nonniſi funeſta eſſe poterat. Si Jobi exemplum nos minime perſuadet, fortaſſe magis movebunt nos verba Apoſtoli, qui gratia Spiritus Sancti plenus, poſtquam tot, tantaque pro Dei gloria operatus eſt, dicebat ſibi ſemper dimicandum eſſe, ut tentationes propulſaret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* (*1. Cor. 9.*) Quibus verbis teſtatur ſatis, quam metuendæ ſint carnis rebelliones; & ſemper contra impetus concupiſcentiæ eſſe invigilandum. Jeſus Chriſtus palam declaravit ſatis tuto mulierum facies reſpici non poſſe, & qui in illas oculorum aciem intenderit, ſeſe adulterii periculo objicere. Cui cum Sanctus Petrus addidiſſet: *Si iſta eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* (*Matth. 19.*) Jeſus quippe qui nolebat omnino interdicere nuptias, reſpondit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Tanta eſt infirmitas humana, ut ſemper decertandum ſit, ut tentationibus reſiſtamus.

Sæculo noſtro hæroicos homines vidimus, qui ut concupiſcentiam ſubigerent, in horrentibus deſertis delituerunt, mortificantes corpora ſua vigiliis, & jugibus abſtinentiis, nulli permittentes mulieri, ut ad ipſos accederet; & adhuc cum omnibus hiſce præcautionibus caſtitatem ſuam ægre ſartam tectam ſervabant. Sed diem totam ſedere apud puellam, & propter voluptatem ex illius conſuetudine captam ne ad breve quidem momentum inde recedere, licet decreverit quidquid pati, ac ſuſtinere potiuſquam alicui malo præbeat conſenſum: interim de ſemet non diffidit; & commercium hoc nullam injicit ſollicitudinem, non timentur effectus periculoſæ hujus cupiditatis, & ſub pietatis ſpecie malum celatur. Videtur hic velle perſuadere ſibi, ſe omni prorſus carere ſenſu; neque aliter ratiocinaretur, ſi inter lapidea ſimulacra verſaretur. *Ex eodem libro.*

Joſeph nos ſuo docet exemplo modum noſmet defendendi contra impudicitiam.

Patriarcha Joſeph nobis eſt exemplum admirabile caſtitatis, & puritatis corporis; ſi enim contempſiſſet illecebras, ac lenocinia Ægyptiæ ea ætate, quæ hominibus omnem amoris ſenſum aufert: caſtitas illius nequaquam tot, tantaſque laudes mereretur. Non admodum heroicum eſt referre triumphum de hoſte, qui non adverſitur amplius: ſed virum annos viginti natum, quo tempore viribus pollet, ab impudica ſollicitatum muliere, quæ omnes adhibet illecebras, & artes ad eum fallendum, quæ repulſam paſſa confugiebat ad ea omnia, quæ ars illi ſuppeditare poterat ad ſuperandam adoleſcentis renitentiam, & illius corrumpendam virtutem lenociniis egregiæ formæ, commendata omnibus illiciis, quæ ex ornatu, cultuque poſſunt accedere; hoc ſane argumentum eſt virtutis minime vulgaris. Nullus dubito, quo minus ſibi timeret Joſeph in tentatione adeo delicata; ſed calamitas ſollicitantis magis eum movit, quam periculum, cui erat obnoxius, ut facile conſtat ex verbis quæ protulit, pleniſſimis verecundiæ, ac urbanitatis. Jus erat illi ſuperbe reſpondendi; cæcus amor, quo illa hunc deperibat, duritiem hanc excuſaviſſet. Sed nihil cogitavit amplius quam quomodo illam revocaret a malo, in quod ſeſe præcipitem erat datura. *Ecce*, inquit, *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es, quomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Ita ſanctus hic Patriarcha ſeſe tutatus eſt in tentatione adeo periculoſa, objiciens heræ ſuæ & dedecus, quod ipſi, ejuſque viro ceſſurum erat, & peccatum quod ille in Deum ſuum perpetraret. *Ex Opuſculis S. Chryſoſt.*

Non una ratio eſt caſtitatis jacturam faciendi.

Non ſemper caſtitatis, & puritatis jactura fit per gravia flagitia. Sunt etiam modi amittendi illam, & magis delicati, & minus ſenſibiles, quam craſſiora hæc ſcelera, quibus plerique ſunt obnoxii. Et quin loquamur de enormibus ſceleribus, quæ ſemper in ſe trahunt iram, & ultionem Dei, plurimæ etiam inveniuntur occaſiones, ubi corporis puritas periclitatur. Quæ plerumque nugæ videntur, quod in urbana vita neceſſarium etiam videtur, amicitia, converſatio, neceſſitudo, ſuavis ſocietas, quæ viciſſim habetur: alia id genus ſexcenta, quæ pura ſunt, & omni labe vacua, cum illis bene utimur, noxia fiunt, & pariunt puritatis jacturam, ſtatim ac temere, ac imprudenter adhibentur. *Sermo quintus oblatus Accademiæ anno 1677.*

Horrere debemus quidquid cœleſti huic virtuti contrarium eſt.

Abſtinete vos ab omni impudicitiæ genere. S. Paulus Apoſtolus inquit, vel minima labes contra caſtitatem, virtutem adeo delicatam, polluit animam, eamque horridam efficit in oculis Dei. Mementote, pergit ille, corpora veſtra eſſe Templa Spiritus Sancti, eaque ne vel leviſſimis ſordibus polluatis. Chriſtianus adhibere debet quamdam reverentiæ, & venerationis ſpeciem corpori ſuo, quod eſt membrum Jeſu Chriſti. An neſcitis, inquit Apoſtolus idem ad Corinthios, quod corpora veſtra membra ſunt Jeſu Chriſti? Ignoratis ne vos eſſe Dei Templum, & Spiritum Dei in vobis inhabitare? Quodnam ſcelus eſt illum inde per ſacrilegam profanationem exturbare? Ne ſequamini Ethnicorum exemplum, qui non alias regulas habent, niſi cupiditates ſuas, quorum ſunt mancipia. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Animæ fideles quæ ſervant corporis ſui puritatem Deo charæ res ſunt.

Omnes fideles animæ, quarum fides, & mores puri ſunt, totidem ſunt virgines J.C. devotæ, & illius Sponſæ futuræ; & ſimul omnes non ſunt, niſi una virgo, & Sponſa, non ſe-

cus

cus ac multa membra ſub uno, eodem capite conjuncta unum dumtaxat corpus efficiunt. Sed inter omnes haſce animas quæ ſedulo tuentur interiorem puritatem chriſtianis omnibus communem, deſunt quædam, quæ ſervant etiam corporis virginitatem, quæ ex Patrum ſententia illuſtrior eſt portio gregis Dominici. Ad has loquitur Eccleſia in Epiſtola, quam legit in feſtis Virginum diebus. Ad Deum modo peculiari pertinent, uni illi placere debent, cumque diſtractæ non ſint cura placendi viro, vivunt in carne corruptibili, quaſi carnem non haberent; & in corpore vitam ducunt Angelicam. Sed cuinam acceptas referre debent has prærogativas, niſi illi, qui prior illas amavit, iiſque gratiam largitus eſt, qua ſe ſe integras poſſent devovere? *Tourneux, anno Chriſtiano Tomo 10.*

PRO COMMUNI SANCTARUM, VIDUARUM.

MONITUM.

Licet Viduarum ſtatus in ſeipſo reſpectus non ſit æque perfectus ac ſtatus Virginum; tamen non caret peculiari merito, & Deo jucundiſſimus eſt, eumque ſuadet, probat, & commendat cum lex vetus, tum nova. Immo in veteri lege ſtatus hic alteri illi antecellebat, & colebatur in iis qui aliquam habere poterant partem in Nativitate Meſſiæ, quod tanquam ſimius honor habebatur, ad quem jure poterant aſpirare; dum ſterilitas Virginum, cujus meritum adhuc latebat, erat in cauſa, ut tamquam inutiles, & quodammodo a Deo reprobatæ haberentur. Longe aliter accidit in lege nova propter rationes, quas afferre hujus loci non eſt: quod tamen non prohibet, quominus S. Paulus viduarum elogium inſtituat, & afferat media, quibus ſemet poſſint ſanctificare. Hoc infinitis probatur exemplis ſtrenuarum, fideliumque Viduarum, quarum dies feſtos celebrat Eccleſia; quia iis perfunctæ muneribus, ac officiis, quæ hoc in ſtatu Sanctus Paulus præſcribit, fieri nequit, quominus ad editiorem perfectionis gradum aſcendant. Si igitur accidit, ut quis teneatur, ſingillatim contexere elogium aliquarum Viduarum, quarum caritatis opera, virtuteſque aliæ ſatis compertæ, ac exploratæ non ſunt, hic inveniet quidquid dici poteſt in communi de Viduis, dummodo curam gerat, hoc peculiariter ad rem ſuam applicare.

PRO COMMUNI SANCTARUM, Viduarum.

Deus elegit Viduitatem pro plurimis, eis ſuppeditans adminicula, quibus ſeipſas ſanctificent.

Cum plurima Deo ſuppetant ad ſalvandas animas, eaſque ſanctas efficiendas adminicula, pro multis viduitatem elegit; eiſque viros auferens, inſpiravit deſiderium vivendi in viduali cælibatu; quod fecit cum Judith, cum Anna Prophetiſſa, cum Sanctis Monica, Paula Romana, Bleſilla, Melania, Marcella, Birgitta, Eliſabeth Regis Hungariæ filia, atque tot aliis, viduitate illis ſuppeditante magna media, & magna Sanctitatis exempla. Quorum afferam nonnulla. 1. Pluries promittit Deus in Scripturis Sanctis ſe peculiarem habiturum curam viduarum, ac ſe illis patrocinaturum. Seipſum conſtituit earum Tutorem, & Oratorem. O quam bene cuſtoditum eſt, quod Deus cuſtodit! 2. Vidua hac in re ſimilis eſt virginibus, quod libera eſt ab hominum imperio, & libere poteſt ſervire Deo; cumque immunis ſit ab omnibus mundi hujus legibus, non tenetur placere alicui peculiariter, neque cogitur alium quærere virum, cui iterum nubat, neque ſibimet auferre libertatem, ut alterius viri pareat voluntati. 3. Omnes exercere poteſt ſine obice chriſtianas virtutes, quæ animam ſanctificent; quarum duæ potiſſimum ad illas pertinent; altera reſignationis divinæ voluntati, qui ut illam Sanctam viduam efficeret, peculiari providentia diſpoſuit mortem viri ſui; altera vero caſtitatis adeo commendabilis in illa, quæ connubii voluptates jam experta, cum ſine crimine eaſdem guſtare valeat, ultro illis abrenuntiat, in viduitate ſuam caſtitatem ſervatura. *In Anno Chriſtiano P. Suffren Tomo 3.*

Quam vitam duxerint viduæ ut eſſent ſanctæ.

Satis admirari non licet ea, quæ Sanctæ Viduæ fecerunt ut eſſent perfectæ, & ut in ſtatu ſuo ſeſe ſanctificarent. Has Sanctus Paulus vere viduas appellat. 1. Mortuæ erant mundo, & carnalibus voluptatibus, ut vacare poſſent ſpiritualibus, delentes ex animo memoriam deliciarum præteritarum, mutantes carnales nuptias in ſpirituales, amorem viri in amorem Jeſu Chriſti veri, & unici ſponſi ſui. 2. Maxime confidebant in Deo, tutore, & protectore viduarum, ſibi perſuadentes ex illa die, qua Deus abſtulit illis virum, & viduæ factæ ſunt, illum in viri ſui locum ſucceſſiſſe, ut ipſas conſolaretur, atque tueretur contra eos, a quibus affligerentur, earumque neceſſitatibus conſuleret. 3. Impenſius vacabant amori Dei ſui; ut Anna, Judith, S. Paula, aliæque. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Gradus alii, per quos Viduæ pervenerunt ad Sanctitatem, fuerunt ſibi cavere ab illis imperfectionibus, quas S. Paulus reprehendit in viduis; & oppoſitas adquirere perfectiones. Præcipit quippe, ut 1. Irreprehenſibiles ſint, vitam ducentes ſine labe, quæ vel Deum, vel homines offendat, & quæ Deo, & hominibus placeat, 2. Ne otioſæ ſint, utiliter ſemper occupatæ, ne diabolus locum inveniat, vel opportunam occaſionem illas tentandi, erudientes filios ſuos, ſi quos habent; familiam ſuam chriſtiano ritu inſtituentes, exercentes opera miſericordiæ & hoſpitalitatis erga alios. 3. Ut ſeſe colligant, ſolitudinem ſervent, converſentur potius cum Deo in angulo domus ſuæ, quam ſine ulla neceſſitate cum viris in cœtibus, auliſque publicis. 4. Ne ſint multum loquaces, ſed amantes ſilentium, ut melius loquantur ex corde cum Deo. 5. Ne ſint curioſæ, neque alienis ſeſe immiſceant negotiis, nec aliis præbeant occaſiones de ſe murmurandi. 6. Ut ſe abſtineant a deliciis, a mollibus indumentis, dapibus, habitaculis, ornamentis corporis, quæ dum earum viri degerent, toleranda erant, ut placerent viris, ſed in viduitate, ubi Jeſum Chriſtum habent pro ſponſo, hunc minime decent. Talis ſuit Sanctæ hujus Matronæ factum, cujus vir præreptus fuerat morte; cœpit enim conſilium non quærendi virum, qui magnam hanc, & irreparabilem jacturam ſarciret. *Annus Chriſtianus Patris J. Suffren T. 2.*

Viduæ viſitandæ ſunt & conſolatione afficiendæ.

Viduæ afflictæ, & derelicti pupilli ſunt ex numero eorum, quos chriſtiana caritas nos jubet inviſere: *Religio Munda, & immaculata*, S. Jacobus ait, *eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* (*Ep. Jac. 1.*) Hic actus eſt Religionis puræ, & immaculatæ, ferre opem conſilio, & opere in eorum neceſſitatibus. Hujuſmadi in occaſione S. Ignatius Martyr ſcribens ad Tharſenſes, viduas nominans, vocat illas *altaria Dei*; nam ſicuti ſuper altaria offeruntur Deo ſacrificia; ſimiliter utilitas, quæ affertur Viduis, illas viſitando, eiſque opem ferendo, locum habet ſacrificii coram Deo; videlicet tale caritatis officium eſt illi acceptiſſimum. *Auctor recens.*

Mirum non eſt quod mulieres, quæ nondum paſſæ ſunt pœnas conjugii cupiant nubere.

Mirum eſſe non debet, ſi mulieres, quæ nullum habuere cum viris commercium, quæ partus dolores expertæ non ſunt, & quæ hæc omnia ignorant, nubere cupiant. Militia licet laborioſa, jucunda videtur illis, qui nondum labores, & pericula belli ſuſtinuerunt; illud vero intelligere nequeo ac me cogitantem fallit, ubi video mulieres, quæ poſtquam tot labores ſuſtinuere, & cognovere quam grave, & oneroſum ſit jugum matrimonii, & quæ millies deteſtatæ ſunt momentum illud, quod ipſas viris ſuis conjunxit, & quæ invidebant innuptarum felicitati, quæ libertatem ſuam minime ſacrificaverant, iterum cupiant poſt obitum prioris viri eamdem conſcendere navim. Fert animus rationes ſcrutari, propter quas ad eadem vincula reverti voluerint, quæ adeo aſpera, & injucunda ferentibus videbantur. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

Ejuſdem argumenti.

Quædam ſunt, quæ ſe trahi ſinunt amore mundi, & gloriæ: credunt, ſibi dedecori eſſe ſtatum viduitatis; & fallax hæc imaginatio illas iterum immergit in alterius conjugii calamitates. Aliæ ſe patiuntur ferri ſua libidine, ac intemperantia, quam ſpecioſo aliquo prætextu celare contendunt. Non equidem damno ſecundas nuptias, quandoquidem Sanctus Paulus probat illas: nam poſtquam dixit: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam;* (*1. Cor. 3. 39.*) quod ſubiit, ne quis credat hoc humanum dumtaxat eſſe conſilium, & oſtendat ſe divinitus hæc hauſiſſe inſtituta. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

Quid cogitandum de ſecundis nuptiis, & de viduitate.

Viduis negotium faceſſere nolo, neque fas eſt illis vitio vertere quod approbat Deus: verum cum viginitatem laudibus extollimus, non ideo nuptias improbamus; ita cum viduitatem celebramus, nolumus aſſerere alteras nuptias noxias eſſe; ſed mulieres hortamur, ut contentæ eſſe velint nuptiis prioribus. Si expedit non nubere; quæ nubit, legem minime infringit. Cum ex duobus ſtatibus alter præfertur, non ideo alterum vituperandum, ac turpem eſſe dico. *Idem.*

De diſcrimine inter priores, alteraſque nuptias.

Multum quidem diſcriminis intereſt inter primas alteraſque nuptias: cui ſatis eſt vir primus ſatis oſtendit facto, ſi optime noviſſet quid ſit conjugium, ſe numquam de illo fuiſſe cogitaturam; ſed quæ in thalamum ſuum alterum inducit virum, plane teſtatur, ſibi mundum, humanaſque res placere. Prior illa, donec vivit vir ſuus, de aliis hominibus non cogitat; ſed hoc ipſum de poſteriori affirmari non poteſt, licet nulli turpitudini aſſentiatur; ſed veniamus ad rem, quin quidquam contra præteritam vitam ex recenti facto inferamus. *Idem.*

Vidua, cui primæ ſufficiunt nuptiæ fieri deinceps poteſt ſimilis Virginibus.

Virginitas eſt nuptiis præſtantior; pariterque præſtat ſemel tantum nubere, quam bis. Viduæ re adhuc integra inferiorem præ Virginibus ſtatum ſibi elegerunt; ſed deinde iiſdem fere evadunt æquales. Ad honorem hunc anhelare nequeunt nuptiæ ſecundæ. Mulier, quæ haud ægre viduitatem amplectitur, ſatis oſtendit, ſe nihil admodum laboraſſe, vivente viro ſuo, ut deliciis operam daret; ſed illa, quæ viduitatem tanquam ſtatum incommodum reſpicit, ſatis probat, ipſam facili negotio pluribus viris ſe ſe tradituram, ſi liceret; & ad extremam uſque ſenectutem, hoc vitæ genus eſſe perducturam. Quemadmodum quæ primo tantum conjugio contenta eſt, oſtendit ſe honeſtatem, & continentiam diligere; ita quæ pluries nubit, ſi minus impudicitiæ notam incurrit, ſaltem præbet magnæ imbecillitatis indicium, vel præſefert ſpiritum abjectum, ac terræ inhærentem. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Vir deferere debet parentes ſuos, ut unice adhæreat uxori.

De viduis intelligendum eſt Oraculum illud, quod protulit Dominus: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Adhæſit illa viro ſuo, tanquam ſi eſſet hic pars ſui ipſius, neque ſeceſſit a capite quod illi datum fuit. Mulieres, quæ nubunt iterum, non ita viris adhærent ſuis; alios poſt alios extrudunt; ſatis palam oſtendunt, memoriam eorum ſibi caram non eſſe: neque poſſunt pro ſecundo conjuge amorem ſatis purum habere, quoniam ſemper retinent aliquot amoris reliquias pro priori, ita ut pro neutro eum amorem, ac reverentiam habeant, quam debent. *Idem.*

Quid ſecundus vir cogitet de uxore, quæ voluptatibus, & lætitiæ deditam videt?

Scire vellem quid vir ſecundus, qui in prioris thalamum ſuccedit cogitet de uxore, quam videt ſeſe lætitiæ, & voluptatibus dedere? Nullus dubito quominus factum hoc illum commoveat, & ipſius benevolentiam imminuat. Quantumvis durus ſit homo, exuere non poteſt omnes ſenſus humanitatis, neque animo æquo pati mulierem, quomodocumque ornatam, & licet omnia in domo ejus renideant, cum teſtitur ſe viri prioris omnino oblitam fuiſſe, mœrore non prohibetur quominus puriores guſtet voluptates. *Idem.*

Licet ſecundarum nuptiarum ſpecies præclara videatur, amaritudines, quibus conſociatæ ſunt, mox plurimos pariunt dolores.

Cum paries fumum, atroremque ebibit, oleum & operam perdit, qui eumdem dealbare contendit, & ſuperinducta albedo brevi fuliginem induit, & injucundum ſpectaculum præbet; ita licet ſpecies alterius conjugii primum quidem præclara videatur, tamen quædam moleſtæ præteriti temporis cogitationes virus inſpergunt voluptatibus quæ percipiuntur. Domeſtici, accolæ, conſanguinei prioris viri gemunt ea, quæ ſunt intuiti; & ſi qui ſuperſunt thalami prioris filii; horum omnes miſerentur, ſi parvuli ſunt, & contra eorum matrem indignantur; ſin autem adulti, vitrico ſuo, quantum poterunt officient, & incommodabunt. *Idem.*

Quæ iterum nubere volunt nō debent profiteri viduitatem.

Si iterum nubere vultis, cur viduitatis ſtatum profitemini? præſtat non polliceri, quam fidem datam infringere. Jeſus Chriſtus vobis matrimonii uſum permiſit, quin legem in oppoſitum irrogaret: quod vobis dico tanquam id quod permittitur, & non præcipitur vobis ad prohibenda omnia incontinentiæ mala. Ita enim Jeſus Chriſtus humanæ fragilitatis miſertus, hoc permiſit ad evitanda mala graviora, potius quam hoc naturalis neceſſitas cogat. *Idem.*

* Si vidua quæ profeſſa eſt viduitatem, promiſſionem violat, habetur tamquam adultera.

Virgo, quæ poſt elicitum virginitatis votum ſibi vim patitur inferri adulterio gravius crimen committit; ita vidua ubi viduitatem profeſſa eſt, niſi præſtet fidem & in ſcelus ruit, punienda eſt tanquam adultera, immo etiam majori cum ſeveritate, quia cedit tentationi, licet criminis ſui magnitudinem intelligat. Igitur ad hæc mala avertenda præcipit Sanctus Paulus viduis, ut iterum nubant, filios pariant, rei familiaris curam gerant, ne Religionis noſtræ inimicis locum præbeant aliquid nobis exprobrandi. *Ex Opuſcolis Sancti Chryſoſtomi.*

S. Paulus viduis permittit ut iterum nubant ad ſcādalum auferendum, quod afferre poſſent prava vivēdi ratione.

A veritatis ſpecie non abhorret, plures tunc temporis viduas, poſt viri ſui obitum vitam parum pudicam duxiſſe; abuſas eſſe ſtatus ſui licentia, & per impudentiam peſſime audiſſe. Ut illas ab hac licentia ſemoveret Apoſtolus, operæ pretium eſſe cenſebat illas iterum viri jugo ſubjicere. Nam, ajebat ille, ſi viduitatem prætexunt, prætexunt, ut libidini obſequantur, & ſeſe omni dedecore commaculent; præſtat illas nubere, ut rumores mali, & ſcandala ceſſent. S. Paulus aliis etiam de cauſis exprobat illas: nam quia vacent orationi, *otioſæ diſcunt circuire domos*; non ſolum otioſæ, ſed *& verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet.* Viduæ, quæ hac ratione vivunt, nullatenus placent S. Paulo, vult enim illas aſceticis tantum rebus occupari. Vidua autem, *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Virginis virtus non in eo tantum ſita eſt, ut caſtitatem ſartam tectam tueatur, opus eſt, ut omne tempus ſuum in Dei laudes, cultumque tranſmittat. *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento dominum obſecrandi.* Non vult illam eſſe diviſam, ſed unice Deo intentam, & nihil illi negotium faceſſere, niſi quod ad Dei cultum pertinet. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Apoſtolus de Viduis eodem ferme pacto loquitur, quo de Virginibus; *quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperet in Domino, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.* Iis vero, quæ omne tempus ſuum terunt in nugis, rebuſque inutilibus, & noxiis, rurſus nubere præſtat. Deus diem Sabbati Judæis conceſſerat, non quidem ſolum, ut quieſcerent, ſed ut ab illicitis operibus abſtinerent. Ita virgines, & viduæ ſtatum hunc non ideo ſolum amplectuntur, ut hominum fugiant commercia, ſed ut ſemet omnino Dei cultui devoveant. *Idem.*

Rationes, quas prætexunt Viduæ iterum nubere cupiētes.

Incommodum eſt mulieribus, quibus nulla eſt terrenarum rerum experientia, ea obire negotia, quæ ad viros tantummodo pertinent, & quibus obeundis illæ pares non ſunt. Se ſe inutili labore torquebunt, & ſuas evertent opes. Quæ non nubunt iterum, dolent intuitæ bona ſua imminui; non multæ viſæ ſunt viduæ, quæ apte negotia ſua procuraverint. En cauſſæ, & fucati prætextus, quibus utuntur ad ſuam tegendam infirmitatem: nam mulieres melius callent, quam viri œconomiam familiarem adminiſtrare; filiis optime educandis magis ſunt pares; nec defuere, quæ redditus ſuos ampliaverint, & aliæ quæ ne minimum quidem eorum fieri detrimentum paſſæ ſunt. Deus ab initio non omnia viris contulit. Domeſticarum rerum œconomia ad mulieres æque ac ad mares pertinet, ne ſi illæ omnino inutiles eſſent, contemnerentur. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* (*Gen. 2. 18.*) Quamvis mas primum, & mox facta fuerit mulier, non ideo nimium ſibi arroget; feminarum quippe curæ neceſſariæ ſunt ad bene regendam domum, rectumque ordinem in illa conſtituendum. Vita præſens in publicis, privatiſque negotiis verſatur. Ea quæ ad rem publicam pertinent, viris mandata ſunt; feminarum miniſterium intra privatos parietes continetur. Si hic ordo ſubvertitur, omnia corruent; oportet enim ſingulos ea, quæ ipſos decent, curare. Feminæ in familiæ regimine tantum præcellunt maribus, quantum ſcitus artifex in arte ſua præſtat illis, qui in eadem penitus rudes ſunt; cur ergo perperam adeo miniſterium hoc reformident? *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Viduæ igitur timendum non eſt, quod viri ſui abſentia domeſticis negotiis officiat, nam illo ſuperſtite am illa procurabat; Nemo audet mulieri dolorem inferre omnes enim timent virum illius, qui illam, ut ita dicam, protegit ab omnibus aliorum hominum pravis contentionibus: ſed licet S. Paulus permittat, ut iterum nubant; non admodum tamen laudandæ ſunt, quæ id agunt. Si minus ideo propter hoc factum puniuntur, ſaltem ſe laudatum iri non ſperent; hoc ſane argumentum eſt infirmitatis eorum, & propenſionis, qua in voluptatem feruntur. Præterea non deeſt viduis excellens ratio omnibus rebus ſuis optime conſulendi, & bona ſua ſarta tecta procurandi, quin aliquis adverſetur; immo e contra ſimul mortalium omnium laudes, & præmia conſequentur, quæ Deus pollicitus eſt; videlicet ſi in bonorum ſuorum partem vocaverint pauperes, illa non ſolum non imminuentur, ſed palam augebuntur. *Idem.*

Pericula quæ imminent mulieri alterius viri jugum ſubeunti.

Si vidua de viribus diffidit ſuis, & non credit ſe carere poſſe viro, qui negotia procuret, ne adeo facile ſibi perſuadeat, illum, cui nubet, habiturum eſſe ea ſtudia, quæ cupit ad reditus ſuos augendos; vel ſi habuerit; timendum eſt, ne illis probitas deſit, & aliquid contra divinas, humanaſque leges peragat: Si ille dives fuerit, & potens; ſæpius plurima illi moleſta, ac injucunda voranda erunt: mala commentitia, quæ ſibi viduæ timebat, vera fient; & quin fortunam ſuam in tuto collocaverit, illam brevi labefactatam videbit. Si enim vidua aliquam patitur jacturam, tamen aliquid illi ſupereſt; ſed quæ iterum ſummo alicui nubunt domino, cui Reipublicæ adminiſtratio demandata; ſæpe amittunt die una quidquid poſſident, cum viro aliqua incidit calamitas, propterea quod ſit conſors calamitatis ejuſdem. *Idem.*

Feminæ, quæ iterum nubunt amittunt libertatem ſuam, & de bonis ſuis nequeunt diſponere.

Sed licet hæc omnia mala nequaquam evenirent, numquid æquo animo libertatem ſuam ſacrificabunt, & ſervitutem ſibi comparabunt? Quid opes proſunt, cum de illis diſponere non licet? Non ne præſtat bono mediocri frui, de quo nobis facere licet quodlibet; quam omnes Mundi hujus poſſidere divitias, & ab alienis arbitriis pendere? Prætermitto curas domeſticas, lites, probra, ſuſpiciones, zelotypias, dolores partus, aliaque id genus ſexcenta, quæ a conjugiis ſeparari vix poſſunt. Hæc omnia verbis repræſentari poſſunt Virgini, quam nil tale rerum magiſtra docuit experientia; ſed rationes hæ tædium afferunt viduæ, quæ hac in re plura didicit iis, quæ poſſit doceri. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Adoleſcentior vidua, quæ virtutem habet in viduitate permanendi majorem habet gloriā, ac majus meritū, quam ſi diutius vixiſſet cum viro ſuo.

Verum ſi hæc vidua fuerit adoleſcentior, nec diu nupta manſerit? Quidquid hactenus dixi ad illas tantum pertinet, quæ ætate ſunt paullo provectiori; de aliis ne cogitavi quidem. Si has tenet deſiderium iterum nubendi, non habeo quid dicam; neque mihi ſatis eſt eloquentiæ, ut illis oppoſitum ſuadeam; quoniam tempus, & ætas illas cohibere non poſſunt; rationes, quas attuli, ad viduas juniores pertinent. At enim, inquis, quid eſſet mali, ſi poſtquam ad annum viduitatem ſervaverit, iterum nupſerit? Sed ſi in ætate adeo tenera virtutem habuerit cælibem permanendi, majorem aſſequetur gloriam, ac meritum majus, quam ſi cum viro ſuo annos triginta vixiſſet. Hæc eſt S. Pauli ſententia: *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Si diu nupta vixerit, ſaltem unum tantummodo virum habuit, quod magis venia dignum eſt, quam ſi duos brevi temporis intervallo habuiſſet. *Id.*

Remuneratione viduarum in-

Tenendum eſt non omnium viduarum remunerationes pares eſſe futuras. Quæ jugum ſuſtinent ab adoleſcentia, gloriam